DE ROMAE VETERIS MURIS ATQUE PORTIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS ADOLPHUS BECKER

PROF. LIPS.

οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος ἐς γῆρας χρόνου.

Accedunt Urbis tabulae duae lithographicae.

LIPSIAE.

APUD WEIDMANNOS.

A. MDCCCXLII.

DE ROMAE VETERIS MURIS ATQUE PORTIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS ADOLPHUS BECKER

PROF. LIPS.

οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος ἐς γῆρας χρόνου.

Accedunt Urbis tabulae duae lithographicae.

LIPSIAE.

APUD WEIDMANNOS.

A. MDCCCXLII.

Graviter saepe multumque dolui, quum antiquitatis Romanae cognitio, sive rei publicae instituta, sive res sacras deorumque cultum spectes, necessario quodam vinculo cum Urbis topographia, quam dicunt, coniuncta sit, nullam tamen inveniri partem, quae aeque turpiter neglecta ac paene relicta et abiecta iaceat. Cuius rei causas, quae sint, quum requiro, video non esse positas in argumenti genere — quid enim potest esse dignius, simul autem quid iucundius, quam eius urbis revocare imaginem, qua nihil unquam magnificentius, nihil praeclarius in orbe terrarum visum est? — neque omissam quaestionem credibile est, quod de utilitate dubitatum fuerit — nemo enim non sentit, ubi paullulum ad rerum Romanarum studium se applicavit, res esse innumeras, quae neque intelligi recte neque explicari possint, nisi animo informatam habeas Urbis faciem situmque locorum: sed quum nullus veterum scriptorum Urbem nobis accuratius descriptam reliquerit, totaque rei scientia ex fortuitis locorum significationibus sexcentisque libris petenda sit, intellexerunt, puto, viri eruditi, quanti operis esset, e disiectis istis lacerisque particulis et ambigua saepe atque obscura commemoratione urbis faciem ad pristinam formam revocare; parumque prodesse collectum ex scriptoribus vel amplissimum apparatum, nisi ipsa accederet locorum contemplatio, testesque oculi firmam stabilemque sententiam efficerent. Hinc factum est, ut ii, quibus neque eruditio, neque ingenium, nec denique studium deesset, totam quaestionem plerumque omitterent, et ad eos res homines delaberetur, quos quotidiano Urbis adspectu ante caeteros ad munus strenue impigreque subeundum incitari oportuit, sed qui diligentiae pariter atque eruditionis iudiciique expertes levi rem brachio agerent, missaque veterum scriptorum lectione, nisi quid forte ab antiquioribus astygraphis no-

tatum viderent, criticaque arte procul habita, rem sibi post natos homines pulcherrimam effecisse viderentur, si nimium freti antiquorum aedificiorum vestigiis sui ingenii commenta, quantumvis veterum testimoniis repugnantia, proposuissent, nitidasque adiecissent picturas, in quibus instauratam atque refectam, non qualis fuit, sed qualem isti sibi finxerunt, Romam videre est totam. Inter quos sunt, qui arcem, ut aiunt, facere ex cloaca lapidemque e sepulcro venerari pro deo minime dubitent; quibus si dederis muri veteris particulam, triginta non amplius lateribus factam, dicent, cuius aedificii fuerit; quod si accedant lapidis Albani vel Tiburtini paucula fragmenta, nihil iam deerit, quominus magnificum consurgere videas templum. Quos ego homines acervatim potius confutabo, quam singillatim refutabo, quandoquidem non contra eos libentissime soleo disputare, quos mihi videor facillime posse superare, praesertim eos quos necesse est plumbeo gladio iugulari tamen. At solebam aliquando irasci eorum levitati errorumque multitudine graviter commoveri; nunc autem diurna consuetudo illi animi mei parti, stomachus ubi habitabat, callum obduxit, ut ridere iam eorum ineptias possim, indignari desierim.

Ac ne cui dubium sit, quos ego homines dicam, nec spernere videar, quidquid huc usque ad illustrandam hanc Romanae antiquitatis partem scriptum est, de singulorum meritis verba faciam paucissima. Omitto autem dicere de antiquioribus astygraphis, omitto Blondum Flavium, huius scientiae quodammodo parentem, omitto Lucium Faunum, sanioris in quibusdam partibus iudicii virum; Andream Fulvium, nihil ultra testimoniorum congeriem ausum; Bernardum Gamucci, servata magis monumentorum memoria, quam explicatione laudandum; Marlianum, clarioris luminis virum, primumque temporum commenta examinare ausum; Panvinium, falsa eruditione plurimum pollentem alienaque scrinia compilantem; Georg. Fabricium, praecipua quaeque leviter adumbrantem; denique Alexandrum Donatum, virum diligentissimum, veterum scriptorum cognitione caeteros omnes facile superantem, aliquoties tamen ad deteriora declinantem. Sufficiat de his dixisse summatim, nullum eorum esse, quin aliqua ex parte utilem

Romanae antiquitati operam navaverit, praecipue autem Marlianum et Donatum ea praestitisse, quae pro temporum illorum eruditione praestari potuerint.

Iam vero paullo post Donatum exorta est atrox ac paene exitiabilis topographiae Romanae calamitas, Famianus Nardini, homo natus ad confundenda perturbandaque omnia. Hic amplissimum de Roma antiqua opus condens subditicios illos libellos, qui P. Victoris et Sex. Rufi falsis nominibus vulgo feruntur, fundamento posuit, quo factum est, ut si quid sanae opinionis in ipso esset, tamen eorum auctoritati concedere cogeretur. Hic porro de portarum situ perversissime statuit; forum Romanum in vici Tusci regione collocavit; comitium, fori partem, in aedificium convertit; Iovem Optimum Maximum e rupe Tarpeia in arcis locum [1]) compulit, arcem in opposito montis cacumine munivit; postremo tot cumulavit tamque graves errores, ut totum obscuraretur quod concedendum est libro meritum, siquidem complura prius intacta inscriptionum aliorumque subsidiorum ope illustravit.

Hunc igitur librum spissis erroribus refertissimum tantum abest ut Itali homines repudiarint, ut ad hunc diem apud eos in summa sit auctoritate, quartamque editionem nostra aetas viderit. Itaque nemine ultra quidquam desiderante post integrum demum saeculum prodiit Ridolfini Venuti opus posthumum accuratam et succinctam spondens Urbis descriptionem. Quem librum poteram silentio praeterire, nihil enim paene continet, quod auctori proprium dicatur, nisi tertiam eius editionem curavisset Stephanus Piale, de quo paullo post dicam. Sequitur Antonius Nibby, vir inter Italos insigniter eruditus, immo Graecis etiam literis imbutus, qui a totius quidem Urbis descriptione abstinuit, (ipse enim Nardiniani operis quartam editionem curaverat) de partibus tamen quibusdam praecipuis, de

1) Ubi nunc est ecclesia S. Mariae in Araceli. Cum in hoc montis Capitolini fastigio arcem fuisse certissimum sit, equidem persuasum habeo, ipsum illud „in Araceli" ortum esse e cognomine ecclesiae in Arce, cui deinde adfinxerunt fabulam de ara ab Augusto Servatori exstructa. Notum est, multas ecclesias ab antiquis locis cognominatas; notum etiam, quam corrupta saepissime medio aevo haec fuerint nomina. Cuiusmodi est: S. Giorgio in velo aureo pro: in Velabro et sim.

muris scilicet portisque, deque foro Romano studiosissime inquisivit. Nec carebat vir ille, quem ego honoris potius quam contumeliae causa nominatum cupio, eruditione, nec deerant ei studium ac diligentia; primum autem Nardinianis commentis ita adsueverat, ut avelli in plerisque summisque rebus non posset, deinde vero omnium hodie haec est Italorum philologorum ratio, ut suis suorumque libris contenti sint, externae eruditionis curam habeant nullam, Germanicae ne minimam quidem, partim quod linguae sunt ignarissimi, tum vero, quod barbaros pinguiorisque ingenii nos existimant esse. Linguae Latinae tenuis est apud eos et vulgaris scientia; Graece scire nobis iudicibus non erit qui dicatur; criticam artem in illa codicum praestantissimorum abundantia totam abiecerunt et, quantum exterorum curae debeant veteres scriptores, ne suspicantur quidem. Itaque quidquid praebent editiones, quibus adsueverunt, aurum et argentum merum rentur esse; de auctoritate vero scriptorum non est cui dubitare in mentem veniat. Ubicunque discrepare scriptores videntur, eum errasse necesse est, qui sententiae iam ante paratae adversatur; praesertim si Graecus fuerit, cuius nulla est contra Romanum vel tenuissimum scriptorem auctoritas. Ex hoc igitur genere est etiam, quem dixi, Antonius Nibby, licet melioribus adnumerandus, quam non iniqui iudicis esse sententiam ex iis poteris cognoscere, quae disperse a me multis locis dicentur.

Atque utinam hic subsistere mihi liceret, nec severius iudicium faciendum esset de eo, quem nunc principem saepe topographorum dici audivi, L u d o v i c o C a n i n a. Quem ego virum alioquin amabilem mallem laudare quam laedere, nisi ipsa res ferret, neque essent inter nostrates quoque qui admirarentur atque unice eum audiendum affirmarent. Praeterea is esse dicitur, qui unus omnium maximo cum contemtu in Germanorum literas despiciat ac pertinaciter respuat, quidquid a Germanica eruditione proficiscitur; quod non iniuria in eo culpari scripta eius abunde docent. Quare non habebit, quod queratur, si quando, quod futurum esse spero, Germanorum aliquis, quam pudenda sit eius antiquarum literarum ignoratio, in clarissima luce ponat. Est autem vir ingeniosus et in perquirendis Urbis

reliquiis indefessus, ardens tamen incredibili omnia instaurandi (architectus enim est) libidine. Ergo quantum indagandis aedificiorum vestigiis profuit, tantum audacia obfuit, erroresque partim priores propagavit, partim novorum exstitit auctor. Latinae enim linguae parum gnarus est; Graece eum nescire credibile est; parietum vestigiis, ingenio atque arte confidit. Dum pauca addicant testimonia, quid praeterea veteres scriptores loquantur non curat. Hinc tibi Romam refingit totam, templaque et basilicas instauratas nitidissimis proponit picturis; nec desunt tabulae topographicae, in quibus dispositum certis locis videas, quidquid habuit Roma vetus aedificiorum. Non nego huic quoque arti suam deberi laudem, modo ne quod hic fecit somnia mera, neglectis qui contra clamitant scriptoribus, in tabulas mittantur. Cuius ego si vellem errores refellere omnes, vereor, ne nullam initurus essem a lectoribus gratiam; sed tamen, ut intelligatur qui vir sit, paucos quosdam significabo potius quam corrigam. Ex multis autem similibus ea potissimum sumam, quae sunt eo gravius reprehendenda, quo facilius meliora doceri poterat auctor. Primum igitur curiam Hostiliam in meridiano fori latere collocat, sperans, puto, sic quoque fieri posse, ut meridie ipso accensus consulis a curia inter rostra et Graecostasin prospexerit solem (Plin. VII, 60.); Vestam ibi ponit, ubi nunc est aedes S. Theodori, remotam a foro, quamquam in foro fuisse scriptores diserte affirmant; Capitolium et arcem cum Nardino sedem mutare iussit, in clarissima luce tenebras quaerens; sacrum clivum in Palatio commentus est; rogum Caesaris exstruit ante basilicam Porciam, laudans Appian. b. civ. II, 148., quamquam ibi ante Regiam combustus narratur *(τὸ πάλαι Ῥωμαίοις βασίλειον)*; fornicem Fabium sive Fabianum nescit, novit autem arcum Fabiani (Arco di Fabiano); ut templa Saturni et Vespasiani loca sua commutarent, inscriptiones apud Anonymum Einsiedlensem pessime distinxit; Pantheon Agrippae pro templo Iovis Ultoris habet, nihil suspicatus, totum hoc nomen e corrupta olim Plinii scriptura fluxisse; ac ne forte rem unam pulcherrimam transiliam: rostra Iulia ante curiam Iuliam stetisse auctor est, citatque testem Varronem, qui scripsit antequam de curia Iulia deque rostris transferendis cogita-

tum fuerat [2]). Ex hoc uno loco totum, qui sit, hominem cognoscere licet; hinc simul disces, propter arcum Severi fuisse rostra antiquiora nescio quae, Romuli, puto, vel Saturni adeo; nam reipublicae rostra in medio foro fuisse, ipse fatetur [3]). Multa poteram adiicere, si liceret in unius viri erroribus diutius versari; sentio enim moderandum mihi esse iam orationi meae atque occurrendum satietati lectorum. Itaque verbo monere satis habeam, exstitisse inter Italos alios quosdam viros eruditos, qui quibusdam in partibus cognitionem veteris Urbis non mediocriter iuvarent, imprimis Caietanum Marini, Carolum Fea et Stephanum Piale, licet fervidioris et interdum audacis ingenii virum, quorum in scriptis multa bonae frugis invenies.

Hactenus de Italis. Restat, ut de Germanorum [4]) studiis aliquanto utilioribus dicam, ut intelligatur, quo iure etiam post illa de neglecta topographia Romana querar. Enimvero, quum quatuor viri eruditissimi iunctis viribus ad describendam tam veterem quam hodiernam Urbem aggrederentur, in maximam spem adducebamur, fore ut nullus iam desiderio locus relinqueretur. Quae spes quamquam irrita non fuit tota, tamen omni ex parte satisfactum exspectationi non est. Nam qui post Niebuhrium, virum immortalem, paene solus veteris Urbis describendae curam in se receperat Carolus Bunsenius, eum egregie quidem de topographia Romana promeritum esse, non solum non diffiteor, verum etiam profiteor; nihilominus tamen eo rem esse perductam, quo tendebant eruditorum vota, nego. Videtur autem vir praeclarissimus coepto demum opere studiosius ad rem ipsam animum applicavisse, quo factum est, ut in diversis voluminibus diversa traderentur, haud paucae vero cae-

2) Quocunque enim tempore hos libros edidisse Varronem statuamus, sive cum Müllero (Praef. p. VII.) nunquam editos ab eo credamus, id unum omnium certissimum est, eum forum reipublicae, non quale post Caesarem fuit, describere. Neque vero ante annum DCCX, quo anno periit Caesar, rostra translata aut de curia Iulii nomine exstruenda quidquam decretum est. v. Dio Cass. XLIII, 49. XLIV, 5. Hinc apparet, cur in Monumento Ancyrano curia Iulia non inter „coepta profligataque" a Caesare, sed inter ipsa Augusti opera nominetur.

3) *Indicazione topografica di Roma antica.* ed. III. p. 153. 163. cf. *Dissertazioni dell' Acad. Rom.* t. VIII. p. 107 sqq.

4) Anglos praeterire licet; neque enim Burtonius aut Lumisdenius ulla ex parte cognitionem Urbis auxerunt.

que gravissimae quaestiones silentio praeterirentur totae. Tum vero dolendum est graviter, eum virum, cui non visere Romam, sed habitare Romae contigerit, cui perscrutari omnia et metiri atque inter opus loca ipsa cum scriptis conferre licuerit, huic utilissimae operae non iunxisse pleniorem scriptorum veterum cognitionem. Nos enim, qui paucis plerumque mensibus informare animo Urbis imaginem cogimur, quum reversi componere coepimus et conferre, quidquid legendis scriptoribus paravimus cognitionis, quoties ingemiscimus non esse concessam iteratam locorum contemplationem: ille, cui visere loca, quum vellet, licitum erat, largius haurire e fonte longe uberrimo noluit. — In simili causa esse videtur Urlichsius, qui in postremo volumine Bunsenii vice fungi coepit; quamquam de eo facere iudicium nolim, antequam prodierit ille, quo saepe exspectationem nostram reiicit „Codex topographicus“ eo maiore desiderio dudum flagitatus, quo certius sperare licet, pleraque eius ab Eduardo Gerhardo, viro primario, confecta esse. — Paullo ante hos viros in scribenda Urbis historia elaboraverat Sachsius, vir diligentissimus et a veterum scriptorum lectione paratissimus. Cui ignoscendum profecto, quod in iis operis partibus, quas describendae Urbi concessit, multifariam a vero aberravit; neque enim ipse Romam viderat, necdum illo, quo scripsit, tempore reperta fuerant praeclara fori Romani vestigia, quibus detectis nova topographiae Romanae aetas novusque rerum ordo natus dici potest. Non igitur mirum, nimium eum fidei Italis habuisse, neque ausum esse eorum castra deserere, quos gnarissimos esse locorum par erat. Multa tamen correxit suaque diligentia eos adiuvit, quibus ipsos cognitionis fontes adire arduum esset. Simul autem non est tacendum, illam describendae secundum tempora ac per singulos paene annos Urbis rationem esse perversissimam, neque posse quemquam e disiectis istis distractisque partibus topographiae Romanae cognitionem sibi parare. — Postremo longe alio consilio ad solvendas quasdam quaestiones impeditiores accessit Ambroschius, vir diligentissimus et in veterum scriptis versatissimus, de quo quoniam saepe mihi in hac dissertatione dicendum est, nihil hic amplius addam, nisi ab hac demum rerum antiquarum scien-

tia exspectari posse, ut abiectis nugis topographiae Romanae cognitio augeatur. Ego vero, quum in multis a viro eruditissimo mihi dissentiendum esset, quod plena, ut soleo, in impugnandis eius sententiis usus sum libertate, neque mirabitur, neque aegre feret: si enim vera sunt, quae contra dixi, ignoscet; si falsa, me libente meum mihi errorem eripiet.

Ergo, ut aliquando totam huius generis orationem occludam et ab aliorum censura ad ipsam rem propius accedam; eo nunc loco rem esse intelligo, ut multis utiliter disputatis ad spem melioris cognitionis erecti simus, sed mixtis ubique veris falsisque, nusquam sententiis firmiter stabilitis virisque doctis cum maxime dissidentibus, ab ipsa cognitione procul aetatem agamus. Quam augere pro parte quum apud animum meum constituissem, non ignarus fui, confragosam me et sentibus obsitam ingredi viam; nec sperare potui fore ut omnia, quae in diuturna obscuritate latuerunt, sic aperirem, ut in clara luce oculis prope cernenda ponerentur; nec denique arrogantius existimavi, in me uno ea esse omnia, quae necesse est esse in eo, qui immensum restituendae Urbis opus perficere velit; veruntamen, ut esse possent, magno mihi studio elaboratum est. Et quamquam intelligo, de multis facilius me, quid non sentiam, quam quid sentiam posse dicere, nec tam facile vera inveniri posse, quam falsa convinci, tamen non pauca, quae statuenda mihi putavi, verissima et certissima inventum iri confido.

Nunc autem quod hunc mihi potissimum locum, de muris portisque tractandum sumsi, id non propterea solum feci, quod ab his incipere debet omnis Urbis descriptio; sed vidi Bunsenium hanc late patentem materiam angustis admodum finibus terminasse, leviter summa quaeque decerpentem; Nibbyi autem tot esse tamque graves errores, ut de integro instituendam esse quaestionem appareret. Praeterea paucae sunt partes, quae seclusae a caeteris et seorsum possint tractari, quandoquidem ita sunt omnia inter se coniuncta atque connexa, ut vel hic interdum extra cancellos egredi cogerer, quos mihi ipse circumdedi.

Caeterum, quamquam ab antiquissimis temporibus ipsisque Romae primordiis incipiendum est, totam tamen illam de antiquiore Romulo Urbe ipsoque Romulo quaestionem consulto

omisi, inutile ratus de eius urbis finibus quaerere velle, de qua ipsa nihil a veteribus memoriae proditum sit. Eam enim mihi de moenibus quaerenti primam oportet esse urbem, quam ipsi Romani ut antiquissimam noverant. Fueritne Romulus unquam, an fabulosis hoc nomen adnumerandum sit, mea non interest: Romani certe eam, de qua iam dicturus sum, urbem Romuli fuisse crediderunt. In hac communi omnium opinione mihi acquiescendum est, neque quidquam novi, quod magis apposite dictum sit, quam illa Livii verba: ,,Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret; nunc fama rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem.“

Missis igitur fabulis, quibus ante Romulum tria fuisse in Palatio, Ianiculo et monte Capitolino oppida aut coloni certe aliqui ibi consedisse narrantur, quum ab Urbe condita ad Honorii aetatem, quae fuerint moenia Romae, quaerimus, tria potissimum invenimus fuisse tempora (epochas peregrino vocabulo dixerim), quum, auctis finibus, novis Urbs muris circumdaretur. Primum enim Romulum urbem, quam condidit, muro cinxisse constat, post quem crescente in dies urbe saepiusque prolatis terminis moenia quoque ampliore ambitu ducta, quoties nova pars adiiceretur, credibile est; sed qui fuerit horum murorum ductus pariter atque portarum situm et nomina nescimus, nisi harum quasdam suspicari licet communes fuisse iis moenibus, quae septem denique collibus circumdedit Servius Tullius. Qui quidem rex, sive ipse operis auctor fuit, sive coepta Tarquinii perfecit, eo Urbem circuitu terminavit, qui per octingentos amplius annos, murum certe portasque si spectes, amplificatus non est. Primus enim post Servium Aurelianus, quum Urbe in immensum aucta aedificia tam publica quam privata longe ultra Serviana moenia processissent, novos amplissimo ambitu muros exstruxit; neque dubium videtur, eorum ductui, ad summam quod attinet, hodierna Romae moenia respondere, licet ea post crebras ruinas sexcenties refecta pauca admodum prioris operis vestigia servent.

De Urbe in Palatio condita eiusque pomoerio.

Quamquam de prima Urbis origine eiusque incrementis paullatim captis quae rerum scriptores grammaticique varie prodiderunt, mirum in modum inter se pugnant, in hoc tamen uno omnes consentiunt atque concordant, condendi principium in Palatio esse factum; neque ultra huius montis radices antiquissimum extendebatur pomoerium. Audi Gell. XIII, 14. *Antiquissimum autem pomoerium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur.* Neque aliter accipi debent, quae minus certis terminis eadem tamen significans narrat Dionys. Halic. I, 88. περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ. Quod quale fuerit et quousque Romulus progressus sit, accuratius nos docet celeberrimus ille Taciti locus, Ann. XII, 24. *Sed initium condendi et, quod pomoerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro Boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larum: forumque Romanum et Capitolium non a Romulo, sed a Tito Tatio additum urbi credidere.* Dubium non est, quin Tacitus haec ex perantiquis fontibus petierit, nec poterant accuratius Romanis praesertim lectoribus fines urbis describi, ut mirari subeat, nostris temporibus de amplitudine eorum erratum esse. Negavit enim Niebuhrius et, qui eum secutus est, Bunsenius [5]), Taciti verba de antiquissimo pomoerio intelligi posse; apparere autem amplificatam tum urbem esse et suburbia quaedam adiecta. Praeterea mirati sunt, quid causae fuerit, ut scriptor non ultra sacellum Larum ad eum, unde egressus erat, locum sulcum perduceret; quare suspicati sunt in ipso locorum ingenio causam fuisse. A quo errore quoniam cavendum est nobis diligenter, ipsa Bunsenii verba apponam: ,,Die so ausführlich

5) Niebuhr, *Röm. Gesch.* Th. I. S. 319 f. (3 Ausg.) Bunsen, *Beschr. d. Stadt Rom.* Th. I. S. 137 f. Vgl. Otfr. Müller, *Etrusk.* Th. II. S. 143.

angegebenen Gränzlinien schliessen sich nämlich nicht zusammen. Sie liefen vom Forum Boarium — bestimmt durch den Bogen des Septimius Severus beim Janus Quadrifrons — durch das Thal des Circus, so dass die Ara Maxima eingeschlossen war, bis zur Ara Consi am Fusse des Hügels sich hinziehend. Dann gingen sie vom Septizonium — S. Gregorio gegenüber — bis unter die Thermen Traians[6]), Curiae veteres. Von dort zogen sie sich bis auf die Spitze der Velia, auf der jetzt der Titusbogen steht, Sacellum Larium. So durchschneiden sie das Thal zwischen dem Cälius, den Carinen und der Velia in der Tiefe des Colosseums, und umfassen diese letzte Höhe selbst, wahrscheinlich auf der Linie der Via Sacra. Zur Zusammenschliessung der Linien fehlt also der Raum von der östlichen Gränze des Forums bis zum entgegengesetzten Punkte des Velabrums. Diese scheinbare Auslassung bezeugt aber gerade das Alter und die historische Genauigkeit der Gränze. Denn in jener Tiefe war vor dem Cloakenbau See oder Sumpf und also keine Erweiterung möglich, so wie eine Befestigung unnütz."

In his primum miror, quo argumento Curiae veteres ad Titi thermas fuisse dicantur; quod si verum esset atque eo usque deflexisset sulcus, haberemus profecto, cur de vetustate pomoerii dubitaremus, quod primae Urbis formam quadratam fuisse magno consensu scriptores narrant. Verum nec causae quidquam, cur ita statuerent, attulerunt, et manifestum est, Tacitum significare locum aliquem in eo Palatini montis latere, quod in Caelium vergit. Nam quum a foro Boario, qua montis angulus in occidentem procurrit ipsisque radicibus prope adiacet Ianus Quadrifrons cum arcu argentariorum sive Septimii Severi, Romulus sulcum, Tacito narrante, coepisset, Aramque maximam includens et per vallem Murciam sive Circum maximum ipsas montis radices premens ad aram Consi haud procul a meridiano angulo pervenisset, flexit aratrum eo in loco, ubi

6) Ita vocari nuper coeperunt thermae Titi, quarum reliquiae visuntur in monte Esquilino, haud procul ab amphitheatro Flavio. Spero me alio loco demonstraturum, Titi thermas nunquam Traiani nomine dedicatas esse, sed utrasque prope quidem iunctas, omni tamen tempore fuisse diversas.

Septizonium novem saeculis post exstruxit Septimius Severus (contra aedem S. Gregorii). Inde per convallem (Via di S. Gregorio) ad Curias veteres tetendit, quas in hoc ipso latere montis, in Caelium quod versum est, fuisse apparet, non procul, ut videtur, ab arcu Constantini. Rursus enim ab his sinistrorsum flexo aratro pervenit ad sacellum Larum, quod fuisse propinquum templo Iovis Statoris, in ea nimirum Veliae parte, quae summa Sacra via dicebatur (ubi nunc arcus est Titi) postea demonstrabitur. Neque aliter existimarunt, qui de urbe Roma scripserunt, Marlianus, Donatus, Nardinus, Nibby, Canina, quos vera sensisse magno argumento est Notitia dignitatum, quae fines regionis decimae indicans [7]) et ab eodem,

---

7) Quae in fine Notitiae dignitatum utriusque imperii legitur Urbis in XIV. regiones descriptio, eam non esse enarrationem aedificiorum in singulis regionibus sitorum, in oculos incurrit, siquidem plerumque notissima quaeque et celeberrima tacentur. Commemorantur potius pauca extremarum regionum loca, ex quarum significatione intelligi possit, qui fuerint regionum fines. Id quamquam in quibusdam regionibus propter locorum, quae nominantur, obscuritatem minus est manifestum, in aliis tamen, praecipue quarta, sexta, octava et decima, clarissime apparet. Animadvertendum tamen est, non ubique seriem, qua subsequuntur loca in finibus posita, servari, sed aliquoties eiusdem generis aedificia, quamvis in diversis locis sita, coniunctim nominari. Quod factum et in hac ipsa decima regione, quando domus Augusti suo loco commemoratur, simul autem et Tiberiana, quam Velabrum versus sitam fuisse postea videbimus. Aliud luculentissimum habes exemplum in regione quarta, ubi post templum Urbis Sacramque viam descendens in forum commemorat „Basilicam novam et Paulli. Templum Faustinae.“ Iam unum omnium certissimum est, basilicam Paulli post templum Faustinae Sacra via descendenti fuisse, sed quum nominasset basilicam novam, i. e. Constantini, simul adiungit veterem Paulli, post Faustinae templum demum commemorandam. Propterea cavendum est diligenter, ne, quoties plura simul templa nominantur, eodem ea ordine iuncta fuisse arbitremur. — Illos autem regionarios libellos, qui P. Victoris Sextique Rufi fictis impudenter nominibus eduntur, subditicios esse aut ita interpolatos, ut vera a falsis nullo modo distingui possint, ita certum est et exploratum, ut nullus iam eorum debeat esse usus. Non ego laudi detrahere ausim virorum, qui primi, si non senserunt, tamen indicaverunt fraudem, sed neminem puto esse, qui paullo consideratius et consultius veterum scriptis utatur, quin conferendis cum ipsa re istis libellis firmiter sibi persuadeat, talia ab homine vetere, nedum Romano, nullo modo scribi potuisse. Magnum profecto est signum, ut monuit Bunsenius (T. I. p. 174.), ab istis scriptoribus earum tantum regionum fere nominatim commemorari vicos, quarum qui fuerint basi illa Capitolina testatum est; manifesta vero deprehenditur fraus, quum vitiosa confisi scriptura vel male intellectis veterum scriptorum locis partim ineptissima recipiunt nomina, partim aedificia comminiscuntur, quae nunquam fuerunt; quum reipublicae monumenta, quae dudum perierant,

unde Tacitus, latere proficiscens, sed in contrariam partem pergens haec nominat loca: Casam Romuli. Aedem Matris Deum et Apollinis Rhamnusii. Pentapylum. Domum Augustanam et Tiberianam. Aedem Iovis. Curiam veterem. Fortunam Respicientem. Septizonium Divi Severi. Victoriam Germanicianam. Lupercal. Vides, hic quoque Curiam veterem inter templum Iovis (Statoris) et Septizonium et in ea quidem nominari regione, quae solum complectebatur Palatium; et quum inter Curiam et Septizonium tertius etiam locus, Fortunae Respicientis, commemoretur, credibile est, Curias propiores fuisse arcui Constantini quam operi Severiano. Neminem autem eo offensum iri puto, quod auctor Notitiae singulari numero Curiam veterem dixerit, praesertim si perpenderit, quae sit huius libri Latinitas, ubi legas in foro Romano fuisse „Rostras III", et in capite Colossi „radia VII" et amphitheatrum „qui capit loca", et pro macello Liviano „macellum Liviani" et similia. Caeterum idem olim fecerat Ovid. Fast. III, 139.

Ianua tunc Regis posita viret arbore Phoebi:
Ante tuas fit idem, curia prisca, fores.

quocum cf. Macrob. Sat. I, 12. *eodem quoque ingrediente mense tam in Regia Curiisque atque flaminum domibus laureae veteres novis laureis mutabantur.* Quodsi ne his quidem argumentis persuaderi tibi rem patiaris, afferam postremo gravissimam auctoritatem monumenti authentici, quod dicunt, basis illius, quae superest de monumento, a quinque regionum

---

cum ultimis Caesarum operibus miscent, aut falsa opinione ducti situm locorum ineptissime definiunt. Cujusmodi est, quod Pantheon Agrippae Iovis Ultoris templum dicitur, ex illo loco Pliniano, de quo antea dixi (XXXVI, 15.); quod circum Florae alterumque Salustii commenti sunt, quorum neuter fuit, ut postea ostendam; quod vicum Iugarium eundem dicunt esse, quem Turarium; quod Curiam Hostiliam, quae cum ipsa perierat republica, non commemorant solum, sed Sub Veteribus ponunt, quum Sub Novis fuisse certissimum sit. Nimirum noverant e Varrone Rostra ante Curiam fuisse; apud Tacitum vero legerant, Augustum laudatum esse a Druso pro Rostris Sub Veteribus: quae quidem Caesar transtulerat. Templum Iovis Tonantis sui saeculi errore ducti in clivo Capitolino collocant, quod in ipso vertice fuisse constat; signum Iovis Imperatoris Praeneste devectum (Cic. Verr. IV, 58.) toties incenso et combusto Capitolio etiamtum superstes narrant atque huius generis similia.

magistris curatoribusque vicorum Traiano posito, quae Basis Capitolina vulgo vocatur. Ibi igitur inter vicos decimae regionis Vicus Curiarum nominatur [8]).

Iam vero, postquam ad sacellum Larum in summa Sacra via, locum arcui Titi vicinum, Romuli pomoerium duximus, mirari sane iubemur, quid causae fuerit Tacito, ut ulterius non progrederetur, neque ad eum, unde profectus erat, locum sulcum perduceret. Illa enim Niebuhrii ratio tota iam concidit, propter locorum ingenium, lacus nimirum et paludes, inde nullis opus fuisse moenibus. Substitimus enim in eo loco, ubi facillimus omnium erat ad Palatinum montem accessus; neque vero, etiamsi munita satis urbs fuisset paludibus, fieri ullo modo potuit, quin pomoerium tamen clauderetur. Itaque dudum observarunt Taciti editores, primus autem, quod sciam, Ryckius, male vulgo interpungi, et coniungenda esse verba: *tum ad sacellum Larum forumque Romanum*. Neque aliter ante Ryckium legerant Donatus et Nardinus; illum autem secuti sunt editores Franco-Galli, Lallemand et Dureau de Lamalle; Brotier delevit etiam particulam copulativam, scribens: *ad sacellum Larum forumque Romanum. Capitolium* etc. Ego ut necessario post verba *forumque Romanum* interpungendum intelligo, ita nolim particulam tolli; sed suspicor aliquid excidisse et scripsisse Tacitum aut: *hoc et Capitolium*, aut

8) Hinc simul corrigendus est gravior etiam Bunsenii error, qui de curiae Iuliae situ sollicitus eo confugit, ut eam ipsam a Notitia nomine Curiae veteris commemorari affirmaret: veterem enim esse appellatam, postquam (ut ipse quidem opinatur) exstructum fuerit ab Honorio Secretarium senatus, ubi postea senatus convenire solitus sit. (*Les forum de Rome*. p. 61. *Annali del Inst.* t. VIII. p. 207 sqq. *Beschr. d. St. R.* Th. III. Abth. II. S. 89 ff.) Itaque Curiae Iuliae vestigia invenire sibi visus est in radicibus Palatii, post pulcherrimas illas tres columnas in foro superstites, inter aedes S. Mariae Liberatricis et S. Theodori, ubi etiamnum amplae visuntur ingentium parietum reliquiae. Non est huius loci, ut copiosius examinem, quidquid hic mihi iniicitur scrupuli et dubitationis; at non oportuit saltem Notitiae auctoritate uti Bunsenium, quum ipse finium hanc esse descriptionem agnoscat et ex ordine, quo commemorantur loca, de eorum situ coniecturam faciat. Non igitur praetermittendum erat, secundum Notitiam Curiam illam veterem, i. e. Curias veteres in opposita montis parte fuisse. — Canina, *del Foro Rom.* p. 102. et *Indicaz. topogr.* p. 256. (ed. III.) illas in Palatii radicibus reliquias, propter similitudinem operis latericii ad Caesarum domus pertinuisse autumat.

forum et Capitolium. Ipsum enim forum a Tacito additum esse pomoerio, credibile non est; notum enim erat, ut Dionys. II, 65. narrat, Vestam extra urbem Romuli fuisse. Utut erit, id facile intelligitur, commemorandum fuisse scriptori locum septemtrionali montis angulo vicinum: in hoc ipso autem angulo desinit forum Romanum, unde qui postea fuerit ad forum Boarium ductus aratri, sponte intelligitur.

Postremo quod monuit Niebuhrius, murum per ima montis et convalles ductum contra illius temporis Italorumque consuetudinem esse, qui omnia in iugis montium condidissent oppida, id nullius momenti esse dixerim. Eae enim, quae ab omnibus communiter urbis recens conditae dicuntur fuisse portae, quae ubi fuissent ultimis temporibus notum erat, non in summo monte, sed ad radices eius fuerunt. Romani igitur illud, cuius hae essent portae, pomoerium ut primum et antiquissimum norant, et quum Romulum urbis conditorem haberent, ab ipso has portas institutas, his finibus urbem terminatam crediderunt, neque ante illud tempus urbem Romam angustioribus finibus fuisse, quisquam unquam audierat. Quodsi tamen suspicari quis velit, ante Romuli aetatem fuisse in Palatio urbem, quae summa tantum montis occupaverit, nihil ad me eam suspicionem pertinere respondeam, quaerentem de urbe, quae fuerit, non de ea, quam cogitatione sibi aliquis finxerit.

Vidimus igitur, quo ambitu, ducto *primigenio sulco* [9]), primum *pomoerium* terminatum sit; neque dubium est, in condenda nova urbe muros eodem semper circuitu ductos esse, nisi quod extrinsecus spatium quoddam terminis signatum relinquebatur, quod pomoerii esset, quamquam ipso muro interiacente ab urbe seclusum. Quod ut appareat — video enim in contrariam partem existimari, aliam pomoerii, aliam murorum esse potuisse formam [10]) — testes mihi citandi sunt scriptores, qui de pomoerio, quid esset, disertis verbis prodiderunt. Principem

9) Paul. Diac. p. 236 Müll. *Primigenius sulcus dicitur, qui in condenda nova urbe tauro et vacca designationis causa imprimitur.*

10) Goettling, *Gesch. d. Röm. Staatsverf.* S. 33.

auctoritatem esse oportet ipsorum augurum, quorum definitionem nobis servavit Gell. XIII, 14. *Pomoerium quid esset, augures populi Romani, qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt: Pomoerium est locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.* Pluribus Varro L. L. V, 32. p. 144 Sp. *Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multi, id est, iunctis bobus, tauro et vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent muniti. Terram unde exsculpserant fossam vocabant et introrsus factum (iactam* Müll.) *murum. Postea qui fiebat orbis, urbis principium; qui quod erat post murum postmoerium dictum eiusque ambitu auspicia urbana finiuntur. Cippi pomoeri stant et circum Ariciam et circum Romam. Quare et oppida, quae prius erant circumducta aratro, ab orbe et urvo urbes: et ideo coloniae nostrae omnes in literis antiquis scribuntur urbeis, quod item conditae ut Roma et ideo coloniae et urbes conduntur, quod intra pomoerium ponuntur.* His accedunt, quae perspicue et dilucide scribit Livius I, 44. *Pomoerium verbi vim solam intuentes postmoerium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt, et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomoerium Romani appellarunt et in Urbis incremento semper, quantum moenia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* Denique Plutarch. Rom. 11. ὁ δ' οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕνιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, τῶν δ' ἑπομένων ἔργον ἐστὶν, ἃς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον καταστρέφειν εἴσω καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην. Τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι καὶ κα-

λεῖται κατὰ συγκοπὴν πωμήριον, οἷον ὄπισθεν τείχους ἢ μετὰ τεῖχος [11]).

Ex his locis primum apparet, pomoerium non dictum esse, ut quidam existimarunt, totum qui muris clauditur urbis locum, sed breve illud spatium in utraque muri parte relictum cippisque terminatum; ut quivis locus urbis intra pomoerium quidem esset, pars autem pomoerii non esset. Multo minus mihi probatur, pomoerium idem fuisse quod agrum effatum, vel agrum effatum appellari locum ipsum urbis intra pomoerium auspiciis consecratum [12]). Cui non solum adversatur ipsa agri notio, qui proprie urbi opponitur, sed falsum esse docent etiam loci scriptorum, qui agri effati mentionem faciunt. Primum enim quid est, quod augures pomoerium locum *intra agrum effatum* esse dixerunt, si idem locus, qui ager effatus, et pomoerium fuit? Deinde vero quid sit ager effatus, haud obscure nos docet Varro L. L. VI, 7. p. 229 Sp. *Hinc* (a fando) *effata dicuntur, quia augures finem auspiciorum caelestum extra urbem agris sunt effati ut esset.* nec minus perspicue Serv. ad Virg. Aen. VI, 197. *ager post pomoeria, ubi captabantur auguria, dicebatur effatus.* Igitur ager effatus non est idem, quod apud Gellium *effati urbis fines*, sed ille trans pomoerium orbis ab augure effatus, intra quem auspicia quaedam captarentur, atque uti eum, qui urbana capere vellet auspicia, necesse erat intra pomoerium esse, ita auspicaturo extra urbem, ut rite tabernaculum caperet, non licebat excedere agrum effatum. Illustrat rem inter alia nobile illud summae religionis exemplum, quum Ti. Gracchus vitio captum a se tabernaculum literis ex provincia ad augurum collegium missis confessus est. Cic. de nat. deor. II, 4. *se quum legeret libros recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis* (?),

---

11) Adde Dionys. I, 88. *περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ βοὸς ἄῤῥενος ἅμα θηλείᾳ ζευχθέντος ὑπ' ἄροτρον ἑλκύσας αὔλακα διηνεκῆ τὴν μέλλουσαν ὑποδέξεσθαι τὸ τεῖχος.* Paul. Diac. p. 248 Müll. *Posimerium pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur. Dictum autem pomoerium quasi promurium, id est proximum muro.* in quibus multa necesse est esse vitiosa. Plutarch. Quaest. Rom. 27. Cato ap. Serv. ad Virg. Aen. V, 785. Isidor. Origg. XV, 2, 3.

12) Otfr. Müller, *Etrusker.* Th. II. S. 148. Göttling, *Röm. Staatsverf.* S. 17. 33. cf. Huschke, *Verf. d. Serv.* S. 102.

quod, quum pomoerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, quum idem pomoerium transiret, auspicari esset oblitus. Cf. Plut. Marcell. 5. *ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως ἔχων οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένην ὑπ' αἰτίας τινὸς ἀναγκασθῇ μήπω γεγονότων σημείων βεβαίων ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν, ἀφεῖναι ἐχρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα καὶ λαβεῖν ἕτερον κ. τ. λ.* Gracchus igitur extra urbem tabernaculum ceperat in agro effato.

His disputatis manifestum est, in condendis urbibus muros et pomoerium eodem fuisse ambitu, nec potuisse formam urbis esse quadratam, pomoerio in orbem ducto; quandoquidem secundum murum cippi terminando pomoerio erigebantur, quod Tacitus his verbis significat: *Inde certis spatiis interiecti lapides;* unde certum est, quem ille pomoerii narrat, eundem murorum quoque antiquissimae Urbis fuisse ductum. Ubi vero fines urbis proferebantur, tum fieri potuit, ut aut adderentur urbi partes, quae in pomoerium nihilo magis reciperentur, quemadmodum Aventinus a Servio muris inclusus est, quum extra tamen pomoerium esset; aut longe ultra murorum ambitum pomoerium promoveretur, quod factum, quotiescunque post Servium augeretur pomoerium. Auxisse feruntur, licet auctoritate nequaquam pari, Sulla, Caesar, Augustus, Claudius, Nero, Traianus: *more prisco, quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos Urbis propagare datur* [13]).

Roma quadrata.

Mons Palatinus quum forma esset prope quadrata atque uno tantum angulo longius in meridiem procurreret, ductum ad eius radices pomoerium pariter quadratum fuisse necesse est, atque hinc factum putatur, ut antiquissima urbs priscis temporibus Roma quadrata appellaretur, quamquam aliam huius nominis esse originem, antiquiorem Romulo, incerta atque obscura fuisse videtur fama. Romuli urbem ita vocatam praeter Ennium et Varronem testatur Dionysius, qui ut comprobet Vestam a Numa esse dedicatam, in hunc mo-

13) V. Tacit. l. l. Dio Cass. XLIII, 50. LV, 6. Gell. XIII, 14. Vopisc. Aurel. 21. Inscriptiones cipporum v. ap. Panvin. *Descr. urb. Rom. in Graev. thes.* t. III. p. 223. Nardini, *Roma antica ed. Ant. Nibby.* t. I. p. 41. Brotier ad Tacit. t. II. p. 376 s.

dum scribit II, 65.: *οὔτε γὰρ τὸ χωρίον τοῦτο, ἐν ᾧ τὸ ἱερὸν φυλάττεται πῦρ, Ῥωμύλος ἦν ὁ καθιερώσας τῇ θεῷ. μέγα δὲ τούτου τεκμήριον, ὅτι τῆς τετραγώνου καλουμένης Ῥώμης, ἣν ἐκεῖνος ἐτείχισεν, ἐκτός ἐστιν.* Neque aliter Plutarchus Rom. 9.: *Ῥωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην κουαδράτην, ὅπερ ἐστὶ τετράγωνον, ἔκτισε καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο πολίζειν τὸν τόπον.* Antiquiora autem tempora spectant, quae e Cassio Dione, ut videtur, notavit Tzetzes ad Lycophr. v. 1232. p. 158. Dion. Fgmta. Vales. 3, 5. p. 10 St. *πρὸ δὲ τῆς μεγάλης ταύτης Ῥώμης, ἣν ἔκτισε Ῥωμύλος περὶ τὴν Φαυστύλου οἰκίαν ἐν ὄρει Παλατίῳ, τετράγωνος ἐκτίσθη Ῥώμη παρὰ Ῥώμου ἢ Ῥώμους παλαιοτέρου τούτων.* Quod petitum est e Graecorum scriptorum historiis, varie de Romae origine prodentium (v. Dionys. I, 72.); in quibus tamen quid veri sit, nemo unquam poterit extricare. Romani certe Romam quadratam Romuli urbem appellaverunt, et factum fortasse, ut, qui ampliorem hanc fuisse crederent, Romae quadratae, quam angustissimis finibus fuisse constabat, antiquiorem originem esse putarent.

In memoriam conditae eo in loco Urbis primaeque eius formae servabatur in Palatio locus saxo in speciem quadratam factus, ubi latere ferebantur, quibus boni ominis gratia in condendis urbibus uti solebant; qui locus et ipse Roma quadrata dicebatur. Fest. p. 258 Müll. *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt, quae solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. Eius loci Ennius meminit, cum ait: Et quis est erat* (se sperat?) *Romae regnare quadratae.* Quamquam Ennium non locum illum, sed ipsam Urbem dicere apparet. Solin. 1, 17. *nam, ut affirmat Varro, auctor diligentissimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus et Rhea Silvia, vel, ut nonnulli, Marte et Ilia: dictaque est primum Roma quadrata, quod ad aequilibrium foret posita. Ea incipit a silva, quae est in area Apollinis et ad supercilium scalarum Caii habet terminum, ubi tugurium fuit Faustuli* (ex emendatione Gerhardi, *Beschr. d. St. R.*

T. III. P. I. p. 81.; antea legebatur: *scalarum Caci. habet terminum* etc.). Ex his scriptorum significationibus colligere licet, ipsum hunc mundi locum fuisse, quem necesse est fuisse in ea urbe, quae Varrone et Plutarcho testibus Etrusco ritu condita esset. Hinc apparet, quae sint illae res, solitae boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi: non, puto, urvum aratri et similia [14]), sed primitiae frugum et quae praeterea in

---

14) *Müll. Etr.* II. p. 145. Göttlingius (*Röm. Staatsverf.* S. 47.) quamquam Romam illam quadratam et ipsem undum urbis fuisse statuit, tamen eius in urbibus Latino ritu conditis grumae sive gromae nomen fuisse contendit atque inde Romam ipsam appellatam esse. Quod quibus argumentis nitatur, si quaeras: nulla sunt. Nam quem laudavit, quamquam non totum, Nonii locum I, 316. p. 63. Merc. p. 44 Gerl., eo nihil proficitur. Verba autem is facit haec: *Grumae sunt loca media, in quae directae quatuor congreguntur et conveniunt viae. Est autem gruma mensura quaedam, qua fixa viae ad lineam dirigantur, ut est agrimensorum et talium. Ennius libro XVIII. „gruma dirigere" dixit degrumari „ferrum." Lucilius lib. III. „Viamque Degrumabis (degrumaberis?) ut castris mensor facit olim."* Vides nihil attulisse Nonium, unde appareat, loca media grumas esse vocatas; in utroque enim loco instrumentum mensorum vel finitorum intelligitur. Neque quidquam subsidii est in loco Hygini Gromatici (p. 73 Scriv. Graev. thes. X. p. 1022.), cuius verba, apud Scriv. indignum in modum corrupta, hinc emendatiora apponam: *Introitu Praetorii parte media ante viam principalem gromae locus appellatur, quod turba ibi congruat, sive in dictatione metarum, posito in eodem loco ferramento gromu superponatur, ut portae castrorum in conspectu rigoris stelam* (ser. regionis stellam) *efficiant: et professores eius artis causa supra scripta gromatici sunt cognominati.* Ex his vel sic corruptis tamen apparet, locum fuisse in castris ante praetorium, qui *gromae locus* vocaretur. Eius rei duplicem Hyginus affert rationem, priorem ineptissimam, quod turba ibi congrueret; alteram veram, quod groma ad dirigendas castrorum vias ibi figeretur. Non igitur nego, potuisse eum locum quodammodo gromam dici, sed mundum urbis ita esse appellatum atque hinc Romae nomen esse derivandum aliis argumentis demonstrari oportuit. — Caeterum totam illam de Latinorum ritu opinionem, quibus fulcris sustineam, non reperio. Quo enim comprobaretur, Romam a Latinis conditam esse, horum pomoeria forma quadrata fuisse dixit, Etruscorum autem in orbem acta (p. 33.), confisus maxime verbis Varronis L. L. V, 32. p. 144. *tauro et vacca interiore circumagebant sulcum. — Postea qui fiebat orbis, urbis principium.* Primum autem *circumagere sulcum* quid vetat dici et eum qui, ut Dionysius ait, *περιγράφει τετράγωνον σχῆμα?* Quid quod Plutarchus dixit: *ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι* et: *ὥσπερ κύκλον κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν*, in quibus verbis non debuit offendere Müllerus, *Etrusc.* II. p. 142. Nihil enim Plutarchus significat, nisi in ipso urbis umbilico mundum fuisse. — Iam quod Varro *urbis* vocabulum ab *orbe* derivat: quis nescit, quoties absurdissima quaeque idem arripiat; neque poterat is, qui quadratam fuisse Romam eamque ritu Etrusco conditam sciret, de vero hic orbe cogitare. Notissima autem est vocis origo, ab *urvo* sive *urbo* repetanda. Fest. p. 375 Müll. *Urvat, Ennius in Andromeda, significat: circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda*

scrobem iaciebantur factum, qui umbilicus urbis esset. Ovid. Fast. IV, 821.

Fossa fit ad solidum. fruges iaciuntur in ima
Et de vicino terra petita solo.

Plura de hoc ritu narrat Plutarchus Rom. 11. *Βόθρος γὰρ ὠρύγη περὶ τὸ νῦν κομίτιον κυκλοτερὴς, ἀπαρχαὶ δὲ πάντων, ὅσοις νόμῳ μὲν ὡς καλοῖς ἐχρῶντο, φύσει δ' ὡς ἀναγκαίοις, ἀπετίθησαν ἐνταῦθα. Καὶ τέλος ἐξ ἧς ἀφῖκτο γῆς ἕκαστος ὀλίγην κομίζων μοῖραν ἔβαλλον εἰς ταῦτα καὶ συνεμίγνυον. καλοῦσι δὲ τὸν βόθρον τοῦτον ᾧ καὶ τὸν ὄλυμπον ὀνόματι μοῦνδον. Εἶτα ὥσπερ κύκλον κέντρῳ περιέγραψαν τὴν πόλιν.* Quem tamen graviter apparet errare et contraria narrare iis, quae cap. 9. de Roma quadrata dixerat, quum urbis Romuleae mundum in Comitio ponit, quod tum demum fieri potuit, quum longe maiore ambitu fines Urbis extenderentur.

De portis urbis Palatinae.

Iam quod attinet ad portas, quae patebant in hoc murorum circuitu, notissima sunt illa Plinii verba, N. H. III, 5, 9. *Urbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut (ut plurimas tradentibus credamus) quatuor.* Tres autem fuisse vel propterea credibile est, quod Etruscorum ritus, quo ritu Roma condita dicitur, totidem ut essent poscebat aditus urbis[15]). Ex quibus nunc duarum tantum situs et nomina nota

---

urvo aratro, quae sit forma simillima uncini curvatione buris et dentis, cui praefigitur vomer. Dig. L, 16, 239. *Urbs ab urbo appellata est. urbare est aratro definire, at Varus ait; urbum appellari curvaturam aratri, quod in condenda urbe adhiberi solet.* Eandem denique originem agnoscit et Varro, quum paullo post: *Quare et oppida*, ait, *quae prius erant circumducta aratro, ab orbe et urvo urbes.* Vides eum, ut solet, non una contentum fuisse originis specie; sed quum plerumque, ut observavit olim iam Macrobius Sat. III, 4., eam, cui ipse accedat, sententiam postremo loco commemoret, credibile est, cum hic quoque non dubitasse, quin ab urvo urbes nomen traxissent. Quod vero simul orbis etiam fit mentio, nemo mirabitur, qui Varronem noverit. — Caeterum quum nominatim cautum et exceptum ab eo sit, ea tantum oppida urbes recte dici, in quibus condendis sulcus ille aratro sit ductus, apparet, *oppidi* nomen non esse proprium Latinis, Etruscorum autem *urbis* vocabulum; sed oppidi nomen esse generale, cuius species urbs.

15) Serv. ad Virg. Aen. I, 422. *quoniam prudentes disciplinae aiunt, apud conditores Etruscarum urbium non putatas iustas urbes*

sunt; tertiam nescimus, fortasse quod antiquissimis temporibus esse desiit, et quum nec rerum ibi gestarum fama, nec sacrorum celebritate clara esset, ipsum quoque nomen intercidit, dum reliquarum una ad imperatorum usque aetatem princeps ad Palatium erat aditus, alterius autem memoria vicinia fanorum sacrorumque ibi fieri solitorum conservabatur. Quas autem priorum topographorum plerique, ut Plinianus numerus expleretur, addidere portas, Ianualem et Carmentalem, eas manifestum est antiquissimae urbis non fuisse, sed amplificati demum pomoerii.

Ut igitur constituamus, quibus in partibus illae, quas novimus, portae fuerint, primum omnium pro certo habendum est, ibi eas esse quaerendas, qua ipsum loci ingenium ad summa montis accessum dabat; neque enim credibile est, conditores urbis patentes ad iugum aditus negligenter praeteriisse et in praeruptis locis difficiles vias arte molitos esse. Iam quum in iis montis lateribus, ubi portas illas fuisse extra dubitationem positum est, altero inter septemtrionem et orientem verso (ubi introitus nunc est ad hortos Farnesinos), altero inter septemtrionem et occidentem (qua nunc est aedes S. Theodori), duo tantum naturales sint ad montem aditus, in his faucibus eas fuisse statuendum est; tum vero mei operis est, ut ostendam, cum hoc portarum situ egregie congruere, quae a veteribus scriptoribus de iis narrantur. Intellexi autem operam meam inanem futuram, neque quidquam me habiturum firmi fundamenti, nec denique de re obscura satis et impedita dicere me posse dilucide, nisi antea de locorum adiacentium situ, de viis praecipue et clivis, deque aedificiis monumentisque vicinis quid statuendum sit dixerim. Quare ante omnia de Sacra via deque Nova via, de Veliae nomine et de clivo Victoriae mihi agendum est.

---

fuisse, *in quibus non tres portae essent dedicatae et votivae et tot templa, Iovis, Iunonis, Minervae.* cf. Micali, *Stor.* I. p. 115. Müller, *Etrusk.* II. p. 146. Göttling, *Röm. Staatsverf.* p. 33.

De Sacra via.

Negari neutiquam debet, doctas et subtiles Ambroschii dissertationes [16]) plurimum contulisse ad rectius cognoscenda quae subiacent septemtrionali [17]) Palatii lateri loca. Libentissime potius fateor, esse quaedam ab eo egregie disputata; sed quod fieri necesse est in hoc genere quaestionum, ut, si semel a recta regione deflexeris et unius loci situm falso constitueris, et in proximis erres aliique ex aliis nascantur errores, idem viro eruditissimo accidit. A quo dissentiendum mihi video in multis praecipuisque partibus, dissentiendum de modo, quo ille brevissimo Sacram viam finivit, de situ Regiae et portae Mugionis, maxime vero de Veliae loco et clivo Victoriae. Quamquam igitur hic, ubi de portis quaerenti harum partium examen in subsidium tantum principalis quaestionis instituendum est, quo adumbretur aliqua quasi imago locorum circum iacentium, neve obscura sint atque incerta, quae vicina fuisse narrantur, hac inquam instituti nostri ratione quamquam fieri non potest, ut omnibus, quibus poteram, copiis aliorum sententias impugnem, praecipuas tamen causas, quibus, ut in diversas partes abeam, adducor, breviter strictimque commemorabo.

Caput Sacrae viae [18]) fuit apud Streniae sacellum: finis in

16) *Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus.* Breslau 1839.

17) Quum latera montis coeli plagis non respondeant accuratius, ne errori locum faciam, hic monuisse satis sit, me eam partem quae contra est templum Urbis et basilicam Constantini septemtrionalem dicere; quae opponitur Capitolio, occidentalem; cui subiacet Circus Maximus, meridianam; denique quae in Caelium vergit, orientalem. Caeterum quamquam his ipsis vocabulis minime delector, tamen quoniam saepius mihi coeli plagae significandae sunt, malui brevitatis causa his uti, quam ambages et circuitus quaerere. Sunt enim haec quoque, licet minus suavia, usu tamen mollienda.

18) Non a re erit monere, quod a multis hodie fieri video, ut Sacram viam inverso ordine mutent in Viam sacram, id contra Romanorum usum fieri. Non magis enim licet in Sacrae viae nomine movere suo loco vocabula, quam pro Bona dea subiicere Deam bonam; siquidem non additum est adiectivum, quo bonitate dea ab aliis diis distingueretur, sed intelligitur certum quoddam numen, cuius hoc nomen sit. Eadem ratio est Novae viae, Boni Eventus et similium. Tribus non amplius locis apud veteres scriptores Viam sacram dici animadverti. Sunt autem: Plinii N. H. XIX, 1, 6. Suetonii Vitell. 17. denique Asconii ad Cic. p. Mil. 14., apud quem tamen paucis versiculis post legitur Sacra via. Quartus qui afferri poterat locus Horatii

Arce. Ab illo Streniae sacello, sito in ea urbis parte, quae Ceroliensis priscis temporibus dicebatur, et Titi, ut videtur, thermis vicino [19]), sub radicibus montis Esquilini, qua Carinae fuisse creduntur, pergebat ad colossum Neronis [20]), ut amphitheatrum Flavium ad sinistram esset, ipse colossus ad dextram. Inde ad Metam sudantem, qua ad laevam relicta inter Palatii declivia templumque Urbis ascendebat per clivum in iugum, in quo summo est arcus Titi [21]). Ab arcu Titi per alterum clivum in

---

Sat. I, 9, 1. nullius in hac re momenti est; nemo enim non videt, poetam metri causa vocabula transposuisse; quamquam ne hoc quidem Propertius, Ovidius, Martialis admiserunt. Postremo vix est quod commemorem, Notitiam quoque habere Viam sacram. Scilicet haec ultima est barbaria. — Caeterum Sacram viam esse dicendam vel inde apparet, quod, qui illam regionem colebant, Sacravienses appellabantur, nec non indicio est, quod Festus negat, Sacramviam aut Novamviam coniunctim scribi oportere.

19) Varro L. L. V, 8. p. 52 Sp., ubi de Argeorum sacrariis agit, ita scribit: *Carinae et inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primae regionis quartum sacrarium scriptum sic est: Cerolienses quatriceps circa Minervium qua in Caelio monte itur in Tabernola est.* Hinc eam Esquilini montis partem intelligamus necesse est, quae in Caelium vergit, nisi vallem ipsam, quae interiacet, Varro significat. In ipso sacrorum fragmento nolim quidquam mutari. Quod enim ibi legitur: *in Caelio monte itur,* neque Plautinis verbis: *introrumpam in aedibus*, defendendum, (Odofr. Müller in Böttiger. Archaeol. u. Kunst. p. 76. Idem in editione Varronis scripsit: qua e Caelio monte iter in T. e.) neque emendandum est. Sed est haec antiquiorum temporum consuetudo, ut in fine vocabulorum litera M omittatur. Copiam habes exemplorum largissimam in inscriptionibus, repertis in sepulcro Scipionum, ubi de L. Corn. Scipione Barbato haec scripta sunt: TAVRASIA CISAVNA SAMNIO CEPIT SVBIGIT OMNE LOVCANA. In alia: HONC OINO PLOIRVME COSENTIONT ROMANI DVONORO OPTVMO FVISSE VIRO LVCIOM SCIPIONE — HEC CEPIT CORSICA ALERIA QVE VRBE DEDET TEMPESTATEBVS AIDE MERETO. Haud aliter verba *in Caelio monte itur* accipio scripta pro: in Caeliom montem. Quae deinde sequuntur, *in Tabernola est,* non coniungenda sunt prioribus, sed adduntur ad accuratius indicandum locum; quemadmodum saepius in his fragmentis factum videtur.

20) Cuius etiamnum eo in loco basis exstat. Atque eo quidem translatus fuerat, quum templum Urbis (Romae et Veneris) Hadrianus moliretur, Spartian Hadr. 19. Dio Cass. LXVI, 15. Fuerat igitur et ante Sacrae viae vicinus, quod colligitur etiam e Martial. I, 70, 6.

21) Fuerunt, qui ita directam crederent, ut colosso atque Urbis templo ad laevam relicto recta paene linea ante basilicam Constantini pervenerit. Nunc postquam fori eiusque aedificiorum situm rectius cognovimus, tota haec explosa et eiecta est opinio. Quod vero Canina (*Indicaz. topogr.* p. 72.) ait, fodiendo circa templum Urbis antiquo solo, cognosci potuisse, ante aedificatum ab Hadriano templum per mediam eius aream Sacram viam ductam fuisse, id mihi non persuadetur propterea, quod arcum Titi necesse est fuisse in Via triumphali, cuius pars erat Sacra via. Nisi igitur statuas et hunc ab Hadriano destructum et in loco,

forum versum rursus descendere coepit, atque hinc potissimum dubitatum est, et quo se verterit, et quae pars vulgo Sacra via, quae Summa Sacra via appellata fuerit. Videntur autem viri docti ex parte certe nequidquam se exercuisse maioresque parasse difficultates, quam in ipsa re esse reperies.

Duo sunt inter arcum Titi et clivum Capitolinum loca, quo pertinuisse Sacram viam certissimum est. Alter est Vestae locus, aedem et Regiam, simul autem et virginum Vestalium domum complectens; alter arcus Septimii Severi. Tertio loco nominari poterat fornix Fabius, quem propter viciniam Vestae huic interim addam. De Vesta testes sunt Varro et Festus, quorum verba mox expendam; praeterea idem testatur Horatius celeberrimo illo in loco, quo ambulasse se ibi narrat, Sat. I, 9. *Ibam forte via sacra.* v. 35. *Ventum erat ad Vestae.* Fuit autem delubrum Vestae, quo nomine comprehendo Regiam quoque, iuxta forum Romanum, sive, ut solent Romani quidquid aedificiorum circa aream fori erat, ipsius fori partem vocare, in foro Romano. Dionys. II, 66. *Νομᾶς δὲ τὴν ἀρχὴν παραλαβὼν τὰς μὲν ἰδίας οὐκ ἐκίνησε τῶν φρατριῶν ἑστίας, κοινὴν δὲ κατεστήσατο πάντων μίαν ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τοῦ Παλατίου χωρίῳ συμπεπολισμένων ἤδη τῶν λόφων ἑνὶ περιβόλῳ καὶ μέσης ἀμφοῖν οὔσης τῆς ἀγορᾶς, ἐν ᾗ κατεσκεύασται τὸ ἱερόν.* Iam quum de fori situ, quin a clivo Capitolino orientem versus sese extenderit (qua regione Titi est arcus), nihil sit hodie dubitationis, simul autem Vesta Palatio propior fuisse dicatur, nihil est loci relictum praeterquam quod est circa aedem S. Mariae Liberatricis. Atque ibi fuisse Vestam vel propterea necesse est, quod vicinam habuisse Castorum aedem in his partibus sitam disertis verbis narratur. Ita enim Dionys. VI, 13. quum post pugnam ad lacum Regillum Castores ad fontem Iuturnae apparuisse scribit: *ἀπονίψαντες ἀπὸ τῆς λιβάδος, ἢ παρὰ τὸ ἱερὸν τῆς Ἑστίας ἀναδίδωσι.* et paullo post: *ὅ τε νεὼς ὁ τῶν Διοσκούρων, ὃν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς κατεσκεύα-*

---

ubi nunc est, denuo exstructum esse, huc viam ante Hadrianum directam fuisse concedendum est.

σεν ἡ πόλις, ἔνθα ὤφθη τὰ εἴδωλα. et, qui iam antea templum ibi fuisse refert, Valer. Max. I, 8, 1. *Castorem vero et Pollucem etiam illo tempore pro imperio populi Romani excubuisse cognitum, quo ad lacum Iuturnae suum equorumque sudorem abluere visi sunt; iunctaque fonti aedes eorum nullius hominum manu rescrata patuit.* Cf. qui idem iisdem paene verbis narrat, Lactant. de orig. err. 7. [22]) — Postremo certissimam fidem faciunt reperta prope aedem S. Mariae virginum Vestalium sepulcra. H. Aldroandus, *Memorie.* n. 3. „Vicino a S. Maria Liberatrice, dove vogliono che fosse il tempio di Vesta sono stati ritrovati da' duodicci sepolcri di virgini Vestali colle loro iscrizioni." Cf. Niebuhr. *Beschr. d. St. R.* III. A. p. 67.

Neque tamen ipsa Vestae aedes proxima foro, sed paullo retrorsum, Palatii radicibus propior fuisse videtur, quum ipsi foro iuncta simul autem propter aedem deae saepius dicantur Atrium Vestae sive Atrium regium et Regia [23]). Omittere hic licet quaestionem, sintne haec tria unius aedificii nomina, an diversum fuerit a Regia Atrium; praesertim quum vehementer dubitem, an unquam clarius appariturum sit, quid inter aedem et Regiam rationis intercesserit. Hic satis habeam ostendere, modo Atrium, modo Regiam foro proxime iuncta dici. Narrat igitur Appianus Bell. civ. II, 148., post Caesaris necem populum, quominus in ipso Capitolio corpus combureret, prohibitum, feretrum in foro ante Regiam posuisse atque ibi cremasse: *ἐς τὴν ἀγορὰν αὖθις ἔθεσαν (τὴν κλίνην), ἔνθα τὸ πάλαι Ῥωμαίοις ἐστὶ βασίλειον.* Qui locus vel unus clare demonstrat Regiae locum, quandoquidem

---

22) Cf. Ovid. Fast. I, 707. *Fratribus illa deis fratres de gente deorum Circa Iuturnae composuere lacus.* Mart. I, 70, 2. *Vicinum Castora canae Transibis Vestae.*

23) Plutarch. Num. 14. *ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν, οἷον βασίλειον οἴκημα.* Solin. 1, 21. *Numa* (habitavit) *in colle primum Quirinali, deinde propter aedem Vestae in Regia, quae adhuc ita appellatur.* cf. Ovid. Fast. VI, 264. Trist. III, 1, 27. Nec repugnat Servius ad Virg. Aen. VII, 153. *templum Vestae non fuit augurio consecratum, ne illuc conveniret senatus, ubi erant virgines; ad atrium autem Vestae conveniebat, quod fuerat a templo remotum.* Nempe seiuncta fuisse templum et Regiam dicit.

scimus aliunde, ubi Caesari rogus structus sit. Sed accedit Liv. Epit. lib. CXVI. *Caesaris corpus quum in Campum Martium ferretur, a plebe ante Rostra crematum est.* et Serv. ad Virg. Aen. VIII, 363. *Quis enim ignorat, Regiam, ubi Numa habitaverit, in radicibus Palatii finibusque Romani fori esse?* Denique Atrium in iisdem nominat partibus, contra puteal Libonis, iuxta princeps reipublicae tribunal, Fest. p. 333 Müll. [Scribonianum ap]*pellatur ante atria* [puteal, quod fecit Scri]*bonius.*

Non est obscurum, quem locum Regiae Servius definiat. Subiacet Palatino, qua fori latus meridianum in ipso montis angulo desinit. Nam quod Ambroschius e verbis Servii: *in finibus fori Romani* sibi visus est efficere, ut in transverso limite, ubi ducta a templo Faustínae ad Palatium linea orientem versus forum finitur, clivum Capitolinum contra fuerit [24]), id quibus defendi possit rationibus, fateor me prorsus esse ignarum; tum enim necessario concedendum foret, Regiam ab aede Vestae platea intercurrente diremtam fuisse. Nam in meridiano fori latere fuisse viam, cuius apud delubrum Vestae in Sacram viam exitus esset, neminem puto fore qui neget, ac si neget re ipsa confutabitur, quoniam duobus locis, tam inter basilicam Iuliam et columnam Phocae, quam ante trium columnarum (quod dicitur) aedificium, egestis ad solum antiquum ruderibus ipsa detecta est platea silice strata. Non fuit proprium huic viae nomen, nisi quod pars Sub veteribus esse dicebatur; reliquae templorum nominibus appellabantur partes: ante Castoris, ad Vestam et sim.; nemo autem persuaderi sibi patietur, non fuisse hanc fori partem recta via cum Sacra coniunctam. Cae-

24) Nec minus errat Bunsenius, iisdem in fori limitibus fanum (ἡρῷον) fuisse Divi Iulii statuens, quum disertissime planissimeque scriptum sit, in ipso foro atque eo in loco, ubi crematum fuerat corpus, primum aram, deinde aedem exstructam esse. Appian. Bell. civ. II, 148. *ἐς τὴν ἀγορὰν αὖθις ἔθεσαν, ἔνθα τὸ πάλαι Ῥωμαίοις ἐστὶ βασίλειον — καὶ τὴν νύκτα πανδημεὶ τῇ πυρᾷ παρέμενον. ἔνθα βωμὸς πρῶτος ἐτέθη, νῦν δ᾽ ἐστὶ νεὼς αὐτοῦ Καίσαρος.* III, 2. *γιγνόμενος οὖν κατὰ τήνδε τὴν ὑπόκρισιν συγγενὴς τῷ Καίσαρι* (Antonius), *ὑπερήλγει μάλιστα αὐτοῦ τεθνεῶτος καὶ βωμὸν ὑπερῳκοδόμει τῇ πυρᾷ.* Dio Cass. XLIV, 50. *αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὥσπερ εἶχον ἐπὶ πυρὰν ἐπέθηκαν.* c. 51. *βωμόν τινα ἐν τῷ τῆς πυρᾶς χωρίῳ ἱδρυσάμενοι.* XLVII, 18. *καὶ ἡρῷόν οἱ ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῷ τόπῳ ἐν ᾧ ἐκέκαυτο προκατεβάλλοντο.*

terum is ipse, qua exitus erat a foro in Sacram viam, fornicis Fabii locus fuisse videtur, de quo dicam, postquam Summa Sacra via quae fuerit explicavero.

Ergo quum diremtam fuisse a delubro Vestae Regiam media interiecta platea omnium minime credibile sit, fieri non potest, quin in eodem fori latere, quo Vesta, illa quoque fuerit, et in ipsis quidem, ut Servius narrat, finibus fori, quum paullo propior Castori aedes Vestae esset. Huc igitur, ad ipsum fori exitum pertinuisse Sacram viam, Varrone maxime atque Festo testibus longe certissimum est. Quorum prior L. L. V, 8. p. 52 Sp. haec tradit: *Ceroliensis a carinarum iunctu dictus Carinae, post ea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacrae viae* [25]*, ab Streniae sacello quae pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem et per quam augures ex arce profecti solent inaugurare. Huius Sacrae viae pars haec sola vulgo nota, quae est a foro eunti primoro clivo.* Ita postrema verba secundum Florentini codicis (Victorio teste) scripturam edidit Spengelius: ego quid verum sit dubito, siquidem Bunsenius in Florentino (quem inuere videtur) ait esse *proximoro* (*Beschr. d. St. R.* t. I. p. 693.). Caeteri plerique (etiam Lips.) *primoro* vel *primore* (fragmentum Casinense *primoxo* teste Amboschio) vel etiam *proximo*. Bunsenius vero et Amboschius corruptam illam Florentini scripturam cupidius arripuerunt, unde alter coniecit scribendum: *proxima sacro clivo*, alter *proximo regiae clivo*. Ac de priore quidem (Bunsenii) coniectura, non opus est amplius addere quidquam, quum certissimum sit, sacrum illum clivum, errorum gravissimorum causam, ipsam esse Sacram viam [26]. Quam vero Amboschius proposuit emendationem (p. 83.), ea inepta quidem non est, nec tamen necessaria. Videtur autem in hac scripturae varietate

25) Quam obscura sit hic Varronis etymologia animadvertit Odofr. Müllerus (*Böttiger, Archaeol. u. Kunst.* p. 81.), qui postea in editione Varronis, Turnebum secutus, scripsit *Cerolia*, aeque obscurum nomen. Fortasse de caerimonia cogitavit, unde Ceroniae nomen ortum esset. Neque enim est quidquam tam absurdum, quod isti non liceat obtrudere.

26) Quod egregie demonstravit Amboschius, p. 78 ss. Nempe clivum Sacrae viae, qui est a foro ad arcum Titi poetae sacrum clivum vocarunt. Hor. Carm. IV, 2, 35. Martial. I, 70, 5. cf. Hor. Epod. VII, 7.

plurimum habere auctoritatis *primoro* vel *primore*, levissimae notae est *proximo*, quorum tamen utrum recipias, non multum refert. In corrupto illo proximoro habes utrumque primoro. Videamus igitur, quae Varronis sit sententia. Dixerat Sacram viam longo tractu a Streniae sacello pertinere usque in arcem; neque tamen, ait, tota haec via vulgo Sacra putatur esse et appellatur, sed ea tantum pars, quae a finibus fori (*eunti* enim *a foro* de eo dicitur, qui relicto foro per Sacram viam pergit) primore dirigitur clivo. Iam qui sit iste clivus, obscurum minime est: nimirum is, per quem a foro inde ad Titi arcum ascenditur; post enim arcum alter est clivus, quo rursus descenditur in amphitheatri convallem. Quem igitur primorem dixit Varro, is est anterior eunti a foro; qui post arcum est, ea etiam Sacrae viae pars erat, neque tamen vulgo ita dicebatur. Iam si a foro ad summa iugi extendebatur, quae vulgo putabatur Sacra esse via, melius consultum vides esse eius longitudini, quam praeoccupati falsis de regis domo opinionibus Bunsenius et Ambroschius in miram brevitatem contraxerunt [27]). Quod esse falsissimum tibi persuadebis vel sola Horatii satira lecta. Apparet enim, poetam cum garrulo illo, qui lateri adhaerebat, satis magnum spatium permeasse, quum ad Vestam tandem perventum est. Praeterea in Sacra via, et in ea quidem parte quae summa dicebatur, scimus poma venire solita (quasi forum pomarium) [28]), unde ampliorem locum fuisse colligas;

---

27) Ambroschii tabulam si spectes, concedes inter literas B et F (etiamsi ea in ipso viarum angulo ponatur) longitudinem maiorem non esse quam CL ad summum passuum. A foro ad arcum Titi plus puto esse quam alterum tantum.

28) Varro de re rust. I, 2. *Huiusce inquam pomaria summa Sacra via, ubi poma veneunt.* Ovid. Art. am. II, 265.

Rure suburbano poteris tibi dicere missa,
Illa vel in Sacra sint licet emta via.

Inter Priapeia, Anthol. Lat. n. 1636.

Quaeque tibi posui tamquam vernacula poma,
De Sacra nulli dixeris esse via.

Eodem referuntur Prop. II, 24, 11.

Et modo pavonis caudae flabella superbae,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit ingratum talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra vilia dona via.

Quamquam me dubitare fateor, an potius omnis ille elegantiae appa-

neque dubitaturi de eo fuissent vv. dd., nisi repugnare existimassent, quae de finibus Sacrae viae accuratius docet Festus.

Qui tantum abest ut adversetur nostrae sententiae, ut ipso teste vincamus necesse sit. Scribit autem haec p. 290 Müll.: *Sacram viam quidam appellatam esse existimant, quod in ea foedus ictum sit inter Romulum ac Tatium. quidam, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa. itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a Regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniae et rursus a Regia usque in Arcem.* Apparet Festum, aut potius Verrium ante oculos habuisse, quae Varro tradiderat, et quam ille viam dixerat esse *a foro euuti primore clivo*, eam definire commemoratione binarum aedium utrobique in exitu viae sitarum, Regiae et domus Regis sacrorum. Quorum locorum prior ubi sit scimus, Regia scilicet in finibus fori Romani: alter ubi fuerit nemo diserte narrat; nisi procul a Regia fuisse certum est, quum inter hanc et Regis domum tota Sacrae viae, quae vulgo dicebatur, longitudo directa fuerit. Nihilominus vv. dd. paullo inconsultius sibi persuaserunt, domum Regis sacrificuli cum delubro Vestae coniunctum eiusque fuisse partem; quo factum est, ut omnis Festum explicandi et probabiliter de locorum situ statuendi ratio tolleretur. Attamen si quaeras, quo argumento ita statuerint, neque ex sacrorum genere quidquam causae erues, neque ullo certo testimonio rem stabilitam reperies; nam quae apud Servium leguntur ad Aen. VIII, 363. *domus enim in qua Pontifex habitat, Regia dicitur, quod in ea Rex sacrificulus habitare consuesset*, ea ab ipsis illis iure repudiantur,

---

ratus in Sacra via venalis fuerit, quo fortasse spectant illa Ovidii, Amor. I, 8, 99.

Munera praecipue videat quae miserit alter:
Si tibi nil dederit, Sacra roganda via est.

Certe in eodem loco coronae erant venales: Ovid. Fast. VI, 783.

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt,
Hic ubi fit docta multa corona manu.

Larum autem sacellum in summa Sacra via fuisse scimus. Nempe in his locis, aut certe vicinum fuit olim Forum Cupedinis, de quo Varro L. L. V, 32. p. 148 Sp. *Ad Corneta Forum Cupedinis*, et paullo post: p. 151. *inter Sacram viam et macellum editum Corneta.*

ut quae Verrii, locupletissimi testis, verbis prorsus contraria sint [29]). Nempe tota mali errorisque causa quaerenda est in famosissimo illo Cassii Dionis loco LIV, 27., ubi de Augusto haec: ἐπειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη καὶ διὰ τοῦθ' ἡ βουλὴ ψηφίσασθαι αὐτὸν ἠθέλησεν, οὔτε τι αὐτὸν προςήσεσθαι ἔφη, καὶ ἐγκειμένων οἱ ἐξανέστη τε καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ συνεδρίου, καὶ οὔτε ἐκεῖνα ἔτ' ἐκυρώθη, οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν, ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι τὸν ἀρχιέρεων ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσε. τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν, ἐπειδὴ ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν. Quorum summa haec est: Pontifex maximus creatus noluit Augustus in domo Pontificis publica habitare; et quum tamen habitare in publico Pontificem maximum oporteret, suae domus partem publicavit: domum vero Regis sacrorum virginibus Vestalibus concessit, quia contigua earum habitationi erat. Haec si conferas cum iis, quae Verrius docet, intelliges, rem admirabilem sane prodere Dionem: contiguam (ὁμότοιχον) fuisse domum Regis aedibus virginum. Quid enim? Virgines Vestales num credi potest ullo nisi proximo Vestae loco habitasse? Quid quod Atrium ipsum planissime dicitur habitationi iis fuisse? Plinius (quem locum ipse post Lipsium Ambroschius laudavit), epist. VII, 19. *Angit me Fanniae valetudo. Contraxit hanc dum assidet Iuniae, virgini Vestali, sponte primum, est enim affinis, deinde etiam ex auctoritate pontificum. Nam virgines, quum vi morbi atrio Vestae coguntur excedere, matronarum curae custodiaeque mandantur.* Neque aliter Gell. I, 12. *Virgo autem Vestalis, simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita* etc. cf. Serv. ad Aen. VII, 153. — Rem, mehercle, prodigiosam! Propter aedem Vestae fuisse virginum domum; item propter aedem Regiam; inter hanc et Regis sacrificuli domum totam interiectam fuisse Sacrae viae longitudinem, nihilo tamen minus Regis domum habitationibus virginum fuisse con-

29) Hinc corrigas licet, quae scripsit Goettlingius (*Röm. Staatsverf.* p. 186.), quem virum egregium in Nardini commentis acquievisse adeoque fidem habuisse Servio, iure mireris.

tiguam communesque cum iis habuisse parietes! Atqui video haec in rerum natura tria esse: ut aut virginum domus a Vesta longe fuerit remota; aut Regis domus propter Regiam; aut denique, ut ea, quam virginibus concessit Augustus, non fuerit Regis domus. Quorum primum et secundum nec fuisse, neque esse potuisse demonstratum est: restat, ut aliam, quam Regis, a Dione dici domum concedamus.

Neque vero ei, qui libero a praeiudicatis opinionibus animo Dionis verba legat, dubium esse potest, quin ea ipsa fuerit causa, ut domum illam virginibus permitteret Augustus, quod domum Pontificis maximi, Lepidus ubi habitaverat, sibi habitandam accipere noluit. Hanc igitur virginibus datam esse, statuamus oportet; tum vero quaerendum est amplius, quid sit, quod Regis sacrorum fuisse Dio tradat. — Cum in codicibus Dionis sit: *τοῦ βασιλέως τῶν ἱερέων*, videri possit Dio propter Regiae nomen, quae habitatio esset Pontificis maximi, hunc ipsum ita appellasse, quamvis paullo ante *ἀρχιερέα* consueto nomine dixisset. Neque tamen opus est, eo ut confugiamus; ita potius rem expediendam censeo. Fieri potuit, ut, postquam Pontificis maximi habitationem in suam domum imperatoriam transtulisset Augustus, Regis tamen habitatio eadem quae antea esset, neque cum Pontifice Rex in Palatium migraret. Ex quo vero Neroniano incendio omnia huius regionis aedificia ad solum deusta fuerant, totamque illam partem urbis, ubi domum Regis necesse est fuisse, aurea Neronis domus occupaverat, Regi quoque alio loco habitandum fuisse manifestum est. An Regia, quae eodem incendio cum ipsa Vesta perierat, ad prioris exemplum restituta fuerit et quousque manserit loco Regiae nomen, incertum est. Nam quod Plinius XXXIV, 8, 18. *Alexandri quoque*, ait, *Magni tabernaculum sustinere traduntur solitae statuae, ex quibus duae ante Martis Ultoris aedem dicatae sunt, totidem ante Regiam*, eo certe nihil proficimus. Quot enim idem scriptor commemorat pariter monumenta, quae illo tempore simul omnia periisse certum est. At meminit Regiae Plutarchus quoque, Quaest. Rom. 97. *Διὰ τί ταῖς Δεκεμβρίαις εἰδοῖς ἱπποδρομίας γενομένης ὁ νικήσας δεξιὸς ἵππος Ἄρει θύεται, καὶ τὴν μὲν οὐρὰν ἀποκόψας τις*

ἐπὶ τὴν Ῥήγειαν [30]) *καλουμένην κομίζει κ. τ. λ.* Recte; sed quantum in his sit subsidii intelliges, si consideraveris, pleraque a Plutarcho in his quaestionibus proposita non esse ab ipso observata, sed e Varrone (quem saepius laudat) aliorumque scriptorum lectione petita; raro se ipsius rei testem fuisse significat, addens *ἔτι νῦν* vel *μέχρι νῦν*. Quam diligens vero in his fuerit auctor, inde apparet, quod idus Decembres nominat, quum Octobribus ea sacra facta sint. V. Paul. Diac. p. 81 Müll. Fest. p. 178. Plus momenti inesse poterat videri verbis eiusdem scriptoris, Rom. 18. *ἔωσαν ὀπίσω τοὺς Σαβίνους ἐπὶ τὴν νῦν Ῥήγειαν προσαγορευομένην καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερόν*. Tum quod Appianus narrat, B. C. II, 148. *ἔνθα τὸ πάλαι Ῥωμαίοις ἐστὶ βασίλειον*. Solin. 1, 21. *propter aedem Vestae in Regia, quae adhuc ita appellatur*. Quibus omnibus qualibuscunque fidem non derogarem, si vel uno loco Regiae nomen cum suae aetatis facto coniungerent, nec tum demum eam nominarent, quum de iis scribunt temporibus, quibus quin fuerit Regia nemo dubitat. Itaque fit, ut ipse Dio, quem nego Regiam nosse, eius meminerit, Iulii Caesaris tempore homines in Campo Martio immolatos narrans, XLIII, 24.: *ἐν δ' οὖν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ πρός τε τῶν ποντιφίκων καὶ πρὸς τοῦ ἱερέως τοῦ Ἄρεως ἐτύθησαν καί γε αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν πρὸς τὸ βασίλειον ἀνετέθησαν*. Nimirum ita in libris scriptum repererat. Nisi porro Martialis de Regia taceret, eius loco commemorans virginum domum I, 70, 3.: *vicinum Castora canae Transibis Vestae virgineamque domum;* nisi denique scirem etiam post Plutarchum, quum Pacis templum arderet, Vestam conflagrasse. Enimvero est hic scriptorum fere, qui procul Roma aut sera aetate scripserunt, mos, ut quidquid in antiquis libris traditum repperissent, id fideliter perscriberent; quare maxime cavendum, ne ipsorum aetate fuisse, quaecunque ab iis commemorantur, existimemus. Testatur Dionysius, ante suam aetatem Cloeliae

30) Vulgo *Ῥήγειναν*. Rectius scripsisset *Ῥήγιαν* sive *Ῥηγίαν*, quorum prius ex coniectura receperunt Coraës et Sintenis Rom. 18. Ubi quum omnes libri pariter habeant *Ῥήγειαν*, nescio an nihil mutandum sit.

statuam equestrem periisse, V, 35. *ταύτην ἡμεῖς οὐκέτι κειμένην εὕρομεν. ἐλέγετο δὲ, ὅτι ἐμπρήσεως περὶ τὰς πλησίον οἰκίας γενομένης ἠφανίσθη.* Quod non impedit Servium, quominus scribat ad Aen. VIII, 646. *quam in Sacra via hodieque conspicimus* [31]). An igitur credamus, cum Regiam novisse ad sua tempora superstitem, quando ad v. 363. dicit: *domus enim, in qua Pontifex habitat, Regia dicitur?* — Quod autem dixi Martialis versibus me commoveri, pro Regia virginum domum nominantem, fortasse mihi opponcs auctoritatem Plinii, testantis Domitiani tempore Regiam fuisse epist. IV, 11.: *Nam quum Corneliam Maximillam Vestalem defodere vivam concupisset, ut qui illustrari saeculum suum eiusmodi exemplo arbitraretur, Pontificis maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam convocavit. Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit* etc. Recte; sed eandem Regiam virginum domum fuisse dico, quo convocandi pontifices erant, ut praesens causam Cornelia diceret.

Hinc mihi persuasi, Dionis tempore Regiam nullam fuisse, cuius locum occupaverit domus virginum Vestalium; aut si qua superstes fuerit veterum sacrorum umbra, nominis tamen magis magisque obliteratam esse memoriam. Quapropter Dio, quum ipse Regiam non nosset, multo minus autem Regis domum (cuius praeterquam apud Festum ne mentio quidem fit usquam), attamen apud Romanos scriptores illam ab Augusto virginibus permissam inveniret, facile adduci poterat, ut Regiae nomen verteret in *οἰκίαν τοῦ βασιλέως,* sive causam donationis perspexit, sive nescius ipse relata ab aliis in suas historias transcripsit. — Fuisse autem in Regia Pontificis maximi habitationem Ambroschius negavit quidem, haudquaquam tamen iis rationibus, quibus me quidem perpelleret, ut de communi omnium sententia decederem, qui ita semper existimassem, fuisse eam ab antiquissimis temporibus deorum cultui consecratam, sed ad-

---

31) Verissime monuit Clausenius (*Aeneas u. die Penaten.* II. p. 745.), verba haec esse alicuius Annalium scriptoris.

iunctam habuisse domum Pontificis. — Equidem Servium multo graviorem testem habeo, quam prima fronte videri potest. Quum enim dicit: *domus, in qua Pontifex habitat, Regia dicitur, quod in ea Rex sacrificulus habitare consuesset,* alterum falsum esse necesse est. Apparet autem potuisse eum nomine Regiae adduci ut crederet, Regis ibi domum fuisse; at Pontifici ut eandem habitationem fuisse diceret, nulla erat in nomine causa. Quemadmodum igitur in posteriore scholii parte error manifestus est, priorem puto esse verissimam et e limpido fonte haustam. — Neque denique aliam ob causam, quam quod Pontificem Maximum iuxta Vestam habitare oporteret, aedem deae ex S. C. in Palatio factam et cum domo Augusti coniunctam esse puto; qua de re Ovid. Fast. IV, 949.

Aufert Vesta diem. cognato Vesta recepta est
Limine. sic iusti constituere patres.
Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse tenet.

et Metam. XV, 864.

Vestaque Caesareos inter sacrata Penates,
Et cum Caesarea tu, Phoebe domestice, Vesta.

Cf. praecipue Fast. III, 419. et Lipsium *de Vesta* cap. 4. — Huic Vestae in Palatio aedi locum crediderim iunctum fuisse, in quo exinde fieri solitum sit, quidquid sacrorum a Pontifice maximo obeundum esset in Regia. Nam quod apud Suetonium, Aug. 76. scribit Augustus, in Regia se fuisse, ea epistola quo tempore scripta sit nescimus.

Postremo ad Regis domum quod attinet, non potuit sapientius de ea statui, quam factum est ab Ambroschio, qui suspicatus est, aliquam priorum regum domum datam esse Regi sacrorum. Quo nihil potest esse accommodatius origini sacerdotii (Liv. II, 2.), neque convenientius loco, in quo fuisse eius domum post ea, quae diximus, haud dubium est. Vidimus enim, a Varrone Sacram viam anterioris clivi spatio terminari, cuius eam partem, quae proxima esset arcui Titi, summam esse dictam, necessario intelligitur. Verrius autem hanc, quae vulgo diceretur, Sacram viam inter Regiam et domum Regis fuisse docet, quare Regis domum in summa Sacra via fuisse necesse

est. Atque in eodem loco non unus veterum regum habitasse traditur. Solin. 1, 23. *Ancus Marcius* (habitavit) *in summa Sacra via, ubi aedes Larum est.* quocum cf. Monum. Ancyr. AEDEM LARVM IN SVMMA SACRA VIA. Item in his locis Tarquinii Prisci domus fuit. Liv. I, 41. *habitabat enim rex ad Iovis Statoris.* Solin. 1, 24. *Tarquinius Priscus ad Mugoniam portam, supra summam Novam viam.* Denique Superbi quoque regiam eodem loco fuisse narrat Plinius XXXIV, 6, 13., ubi de statua Cloeliae: *E diverso Annius Fetialis, equestrem, quae fuerit contra Iovis Statoris aedem in vestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae* (tradit). Fuit autem statua Cloeliae in summa Sacra via, unde apparet etiam Iovis Statoris aedem huic fuisse vicinam. Liv. II, 13. *in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo.* Utrum vero ad laevam, an ad dextram venienti a foro fuerit Regis domus, non ausim affirmare.

Iam restituta Sacrae viae iusta longitudine, intelligitur, quam facete et commode summae Sacrae viae mentionem fecerit Cicero p. Planc. 7. Quaerit ibi orator, quid causae sit, quod Laterensis Plancium potissimum insectetur, neque queratur de caeteris competitoribus: *Hoc tamen miror, cur tu huic potissimum irascare, qui longissime a te abfuit. Equidem, si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit.* Longe enim distantia loca, ut apta comparatio esset, nominari oportuit. Simul autem colligas ex hoc loco, fornicem Fabium in eo latere fori fuisse, ubi erat Vesta; quem si posueris in adverso latere (ubi templum Faustinae), ut flexa in angulum ad eum pervenerit Sacra via, tota res claudicat et vacillat. Atque illo in loco fuisse aperte demonstrant scholia ad Cic. Act. pr. in Verr. 7. *Videt ad ipsum fornicem Fabianum Verrem.* Ibi primum Pseudo-Asconius: *Fornix Fabianus arcus est iuxta Regiam in Sacra via a Fabio censore constructus* etc. Deinde schol. Gronov. *Arcus est prope Vestam.* atque alter scholiasta, praeclare locum definiens: *Sacram ingredientibus viam post templum Castoris.* i. e. ubi transieris aedem

Castoris. Neque quemquam puto futurum fuisse, quin ita statueret, nisi obstare visus esset locus impeditissimus Trebellii Pollionis in vita Salonini. 1. *Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante Sacram viam, intra templum Faustinae advecta ad arcum Fabianum, quae haberet inscriptum* etc. Quae verba ut explicari possint, neque ad emendationem confugiendum sit [32]), primum omnium tenendum est, Pollionem non significare duo loca diversa, quibus statua diversis temporibus steterit: primum in pede montis Romulei ante Sacram viam, deinde intra templum Faustinae ad arcum Fabianum; etsi enim satis importunum et superfluum videri potest participium *advecta*, tamen multo minus credam, omissam esse particulam *post* vel *deinde*. Certum potius videtur, vidisse quidem scriptorem stantem olim ante Sacram viam Salonini statuam, sed eo, quo scripsit, tempore eam interiisse; et postulant hoc verba *quae haberet inscriptum*. Deinde id certissimum est, non potuisse statuam intra templum, i. e. in templo Faustinae positam esse, simul autem et ad fornicem Fabium; neque denique quemquam existimaturum spero, hunc commemoratum esse, quo accuratius situs templi definiretur; quod quidem cui poterat esse ignotum? Dubium ergo non est, quin quidquid Pollio nominum affert: in pede montis Romulei, ante Sacram viam, intra templum Faustinae, ad arcum Fabianum, iis unus idemque locus indicetur. Quod fieri tum demum potuit, si, quemadmodum narrant Pseudo-Asconius caeterique scholiastae Ciceronis, fornix Fabius iuxta Regiam fuit eo ipso in loco, ubi in Sacram viam exibat illa via, quae a basilica Iulia praeter Castoris et Vestam ad Regiam ducebat. Videntur igitur Pollionis verba ita esse explicanda: statua Salonini fuit ad radices Palatii, ante Sacram viam (quod dubito utrum sit in capite viae, an ad viam), intra (i. e. citra sive non ultra) latitudinem templi Faustinae, propter arcum Fabianum. Videntur autem verba *intra templum Faustinae* propterea adiecta, ne

32) Coniecerunt vv. dd. *infra* vel *contra*. v. Bunsen, *Beschr. d. St. R.* t. III. B. p. 55. Ipse, nec minus Ambroschius (p. 88.), vulgatam scripturam putat posse servari: recte; nisi in explicandis verbis neutri assentior.

quis in aversa fornicis parte statuam fuisse crederet. Neque vero mirum videri potest, cur ad describendum accuratius locum Pollio templo in opposito fori latere sito usus sit, siquidem illa aetate in ea, ubi statua fuit, parte nullum videtur fuisse, quod notum esset omnibus, aedificium. Quemadmodum igitur Pseudo-Asconius, antiquiores scriptores secutus, fornicem Fabium ad Regiam fuisse scribit, ita Pollio, quae suis temporibus fuerit facies locorum, narrans, templum e regione situm nominat.

Poteram his esse contentus; neque enim ultra fornicem Fabium quorsum directa fuerit Sacra via ad nostram quaestionem quidquam attinet; ne tamen rem imperfectam relinquam, paucissimis absolvam. Nam post detectum clivum Capitolinum quum et ipse, et omnia circum loca oculis cernenda pateant, de Sacra via, quin per ipsum Severi arcum duxerit, omnis exemta est dubitatio; quamquam ne antea quidem secus existimatum oportuit, quoniam in via triumphali, ut caeteros, hunc quoque arcum fuisse necesse est. Quo ut perveniretur, dubium non est, quin a fori finibus propter Regiam perrexerit via ad templum Faustinae atque inde recto tramite ad arcum processerit. Scimus enim Sacram viam terminasse quartam Augusti regionem, cui inde nomen fuit; forum vero Romanum octavae regionis fuit, quae ipsa hoc nomine appellabatur. Quare ad laevam Sacrae viae fuisse apparet.

De Nova via.

Livius, quum domum Tarquinii Prisci ad templum Iovis Statoris fuisse narrat, eandem coniungit cum ea via, cuius, ut clarius appareat situs locorum inter arcum Titi et forum Palatio subiacentium, non potest omitti descriptio. Sermo est illic de nece Tarquinii, quam Tanaquil celare populum studuerit, pergitque Livius in hunc modum I, 47.: *ex superiore parte aedium per fenestras in Novam viam versas (habitabat enim rex ad Iovis Statoris) populum Tanaquil adloquitur.* Quae quamvis obiter dicta sunt, tamen in definienda Novae viae regione maximae sunt utilitatis, quod eius inde cognoscimus principium sive caput. Nam Tarquinii domus quum fuerit prope

templum Iovis Statoris (quod ipsum stabat e regione summae Sacrae viae), simul autem habuerit fenestras in Novam viam versas, hanc necesse est in iisdem locis a Sacra deflexisse. Videtur enim Sacra via non longe ab arcu Titi dexteriorem partem petiisse, tum vero recto itinere ad Regiam tetendisse, quo inter ipsam et montem, haud exiguum loci relinquebatur. Hinc intelligitur, qui potuerit Asconius in his regionibus vici mentionem facere, qui esset ad sinistram Sacrae viae. ad Cic. p. Scaur. 45. *Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, cum ab Sacra via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est.* Vix est quod moneam, eum vicum non esse Novam viam, sed angiportum, quo Sacra via cum Nova coniungeretur. Quemadmodum autem Sacrae viae pars, quae proxima arcui esset, summa vocabatur, ita Novae quoque pars, pariter clivo descendentis, summa Nova via dicebatur. Solin. 1, 24. *Tarquinius Priscus ad Mugoniam portam supra summam Novam viam.* Ab illo loco sub ipsa montis crepidine post delubrum Vestae descendebat, in infima parte fori altitudinem aequans. Quam fuisse viae regionem, argumento sunt loci, quibus Aio Loquenti sive Locutio ara posita esse narratur eo in loco, ubi ante captam Urbem coelestis vox audita credebatur. Cic. de divin. I, 45. *Nam non multo ante Urbem captam exaudita vox est a luco Vestae, qui a Palatii radice in Novam viam devexus est* etc. — *ara enim Aio Loquenti, quam septam videmus, exadversus eum locum consecrata est.* II, 32. *ex eo Aio Loquenti aram in Nova via consecratam.* Liv. V, 32. *Eodem anno M. Caedicius de plebe nuntiavit tribunis, se in Nova via, ubi nunc sacellum est, supra aedem Vestae vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quae magistratibus dici iuberet, Gallos adventare.* cf. 50. 52. Varro ap. Gell. XVI, 17. *sicut Aius deus appellatus araque ei statuta est, quae est in infima Nova via, quod eo in loco divinitus vox edita erat.* Denique Plutarch. Camill. 30. *αὐτὸς δὲ ἱδρύσατο νεὼν Φήμης καὶ Κληδόνος ἀνειρῶν ἐκεῖνον τὸν τόπον, ἐν ᾧ νύκτωρ ἡ καταγγέλλουσα τὴν τῶν βαρβάρων στρατιὰν ἐκ θεοῦ τῷ Κεδικίῳ Μάρκῳ φωνὴ προς-*

ἔπεσε. Cf. c. 14. Ex quibus locis inter se collatis apparet, M. Caedicium, quum illam vocem audire sibi videretur, in ea parte fuisse, qua Nova via a celsioribus locis ad fori altitudinem descenderat, atque eo in loco aram Aio Locutio dicatam esse: *exadversus eum locum*. Exierat autem vox e loco altiore, *a luco Vestae*, ut Cicero, *supra aedem Vestae*, ut Livius tradit; neque enim ara dicata est supra aedem, sed inde vox audita; quare Plutarchus scribit: *τὸν τόπον ἐν ᾧ τῷ Κεδικίῳ ἡ φωνὴ προσέπεσε*.; neque urgenda sunt verba Varronis: *quod eo in loco divinitus vox edita erat*. Vestae porro lucus supra viam erat, qua ipsa ab aede deae dirimebatur; quod clare docent verba Ciceronis: *a luco Vestae, qui a Palatii radice* (int. declivia montis) *in Novam viam devexus est*; ex quibus qua ratione erui possit lucum inter viam et aedem fuisse (Ambrosch. p. 123.), equidem me nescire fateor.

Propter aedem Vestae, qua ad ima descenderat (infima Nova via), in ipso montis angulo sinistrorsum flectebatur, forumque attingebat Romanum; qua de re Ovidius Fast. VI, 389.

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua Nova Romano nunc via iuncta foro est.
Huc pede matronam nudo descendere vidi etc.

In quibus ne offendas, animadvertendum est, non solum mediam partem ab aedificiis puram, quae inclusa esset templis basilicisque, sed quidquid ab his occuparetur loci, ad aream fori pertinuisse; neque dubium est illam plateam, quam silice stratam inter trium columnarum aedificium et S. Mariae Lib. aedem videre est, cum Nova via coniunctam fuisse. Exinde credibile est, eam ima Palatii radentem usque ad portam Romanulam et vicina Velabro loca pertinuisse; quod fuisse prope Ianum Quadrifrontem et arcum Septimio Severo ab argentariis fori Boarii exstructum, cognomine aedis S. Georgii in Velabro praeclare testatum est. Eo autem pervenisse Novam viam, argumento sunt, quae de sacris quibusdam ibi fieri solitis tradit Varro L. L. VI, 3. p. 205 Sp. *Hoc sacrificium* (Larentalia) *fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulcrum Accae, ut quod ibi prope faciunt Diis Manibus*

servilibus sacerdotes, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula. Cf. locum graviter corruptum V, 7. p. 49. et 34. p. 164. *Romanulam* (portam) *ab Roma dictam, quae habet gradus in Navalia ad Volupiae sacellum.* Hic ne mireris Navalia, remotissima quae fuerunt; optimi enim et plerique libri habent *novalia*, unde recte Müllerus recepit Scaligeri coniecturam: *in Nova via.* Festi verba p. 174 M. mutila esse dolendum est.

De Velia et clivo Victoriae.

His disputatis hactenus, superest ut de eo iugo accuratius inquiram, quod Veliae nomine appellabatur, simul autem et de clivo Victoriae, quem cum Velia error coniunxit, quamvis longo regionum tractu ab ea distantem. Primum igitur ad Veliam quod attinet, probe tenendum est animo, eam in descriptione Urbis Serviana adnumerari quidem quartae regioni, quae Palatii fuit, neutiquam vero, nec magis quam Germalum, summae montis superficiei partem fuisse. Ita enim Varro L. L. 8. p. 59 Sp. *Quartae regionis Palatium, quod Palantes cum Evandro venerunt, qui et Palatini. — huic Cermalum et Velias coniunxerunt.* Quae qua poterant dici ratione coniuncta a Servio esse Palatio, si continens ipsius montis pars erat, nec potius locus seiunctus quidem a iugi Palatini complexu, sed radicibus cohaerens ac propterea regioni additus? Quare verissime statuit Niebuhrius, quem secutus est Bunsenius [33]), Veliam dici id iugum, quod a Palatio (ubi arcus Titi) Esquilias versus procurrens forum Romanum et amphitheatri convallem dirimit, quae sententia egregie veterum scriptorum locis confirmatur. Duo potissimum sunt, quorum causa saepius Veliae mentio fit: aedes Deorum Penatium et domus Valerii Poplicolae. Illam in Velia fuisse testan-

33) Niebuhr, *Röm. Gesch.* I. p. 431. Bunsen, *Beschr. d. St. R.* III, A. p. 81. Apud antiquiores de urbe Roma scriptores, qui eiusmodi quaestiones mira levitate praeterire solent, summam videas esse de Velia perturbationem. Nardinum, cum fori situm perperam constituisset, de Velia quoque errare necesse erat; quem tamen sequi Nibbyo et Caninae commodum visum est. At Ambroschium etiam pariter errasse, dolendum est.

tur Varro L. L. V, 8. p. 59. *Veliense sexticeps in Velia, apud aedem Deum Penatium.* Id. ap. Non. XII, 51. p. 531 Merc. p. 363 Gerl. *Tullum Hostilium in Veliis, ubi nunc est aedis Deum Penatium.* Liv. XLV, 16. *Aedes Deorum Penatium in Velia de coelo tacta erat.* Solin. 1, 22. *Tullus Hostilius in Velia, ubi postea Deum Penatium aedes facta est.* Quibus denique accedit omnium gravissima auctoritas Monumenti Ancyrani, quo testatur Augustus factam a se AEDEM DEVM PENATIVM IN VELIA. Neque tamen in hac quamvis frequenti commemoratione de parte, in qua fuerit, coniecturam facere liceret, nisi certiores nos faceret Dionysius Halicarnassensis, qui celeberrimo loco lib. I, 68. haec narrat: *νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω κατὰ τὴν ἐπὶ Καρινὰς φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν, ὑπεροχῇ σκοτεινὸς ἱδρυμένος οὐ μέγας. λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Ὑπελαίαις τὸ χωρίον. ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν Τρωϊκῶν θεῶν εἰκόνες, ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΣ ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας.* Quae in inscriptione est difficultas, eam hic licet omittere[34]), dummodo Penatium sit aedes, de qua loquitur Dionysius. Neque fuit ante Ambroschium quisquam, qui rem apertissimam negaret (p. 119 sqq.), qui tamen ipse nihil praeterea nactus subsidii, solam opinionis suae tuendae spem in vitiosa scriptura nominis *Ὑπελαίαις* posuit. Videntur sane libri MSS., quantum colligi potest e scriptura a Sylburgio, Reiskio et Ambroschio (p. 231.) notata, nihil offerre varietatis praeterquam quod modo *Ὑπελαίαις*, modo *ὑπ' ἐλαίαις*, aut denique *ὑπελαίας* scriptum est. *Οὐέλιαι* olim iam emendavit Casaubonus in adnott. ad Monum. Ancyranum. Sub Velia vertit Cuiacius. Et restituendum esse Veliae nomen, etiamsi dubium foret, an aedem Penatium dicat Dionysius, tamen certissimum est vel propterea, quod inauditam rem fingunt, qui proxime forum, qua regione

---

34) Vid. Ambrosch. p. 231 sqq. Poteram et de meo addere coniecturam: scriptum fuisse in monumento PENATIBVS, quod Dionysius, quae est perpetua eius consuetudo, Graece verterit *ΠΕΝΑΣΙ* sive priscum literarum ductum imitatus *ΔΕΝΑΣΙ*. Cf. Clausen. *Aeneas u. die Penaten.* t. II. p. 624. n. 1116.

nihil est loci, quod cognitum non habeamus, locum, vel regionem potius (*χωρίον*) Sub olivis nominatam fuisse opinantur. Quod autem dixi, ita scribi oportere, etiamsi de templo dubitare quis velit, id non ita dictum puta, quasi dubium mihi videri possit id, quod certissimum esse ipsa res declarat. Dixerat enim paullo ante, c. 67. Dionysius de arcano apud Lavinienses Deum cultu pergitque ita: *τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν.* Tum narrat, quid Timaeus de forma deorum ab incolis agri se didicisse affirmaverit; se vero, quod scire nefas sit, neque velle scire, nec proditurum esse: *ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾶν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκούειν, οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν. — Ἃ δὲ αὐτός τε ἰδὼν ἐπίσταμαι καὶ δέος οὐδὲν ἀποκωλύει με περὶ αὐτῶν γράφειν τοιάδε ἐστί. νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω κ. τ. λ.* Et est quisquam, qui post haec Dionysium ulla de re, nisi de aede Penatium, qualis Romae fuerit, loqui posse existimet, nec miretur illam nobilissimam aedem silentio praeteriri, neque adeo ne verbo quidem doceri lectorem, quo in templo fuerint illa Deum Penatium simulacra?

Verius est nimirum illud, totam scriptoris orationem sive forte, sive consulto egregie esse compositam ad suspendendos hominum animos, quid tandem de Romanorum Penatibus proditurus sit; cui exspectationi ut satis faceret, non potuit ex ignoto quolibet templo commemorare simulacra, Penatium nomine inscripta, sed ipsam oportuit esse aedem Deum Penatium ubi essent *αἱ εἰκόνες τῶν Τρωϊκῶν θεῶν.* Quem autem aedis locum aperte Dionysius demonstrat, eum necesse est circa basilicam Constantini fuisse. Ubicumque enim Carinas fuisse statuamus, sive partem iugi Esquilini occupaverant, sive inferiora sub montis radicibus loca, id certo Varrone magistro didicimus (V, 8. p. 53 Sp.), confines eas fuisse Suburae; quare fieri non potest, quin post templum Urbis et amphitheatrum septemtrionem versus fuerint. Eo igitur perveniri quidem poterat Sacra via; sed ducebat eodem et compendiaria via (*ἐπίτομος ὁδός*), ea nimirum regione, ubi nunc est aedes SS. Cosmae et Damiani, iuxta basilicam Constantini. Quare non inepte Bunsenius (t. III. A. p. 85.) suspicatur, superstes etiamnum

ex parte templum rotundum, per quod nunc ad illam Sanctorum aedem intro itur, ipsam fuisse aedem Penatium.

Num quid praeterea fuit causae, cur negaretur, iis in locis fuisse aedem Penatium? Sentio autem gravissimis opus esse argumentis, quo Dionysium ineptiarum incusemus. At nihil esse invenies, nisi quod repugnare visa sunt, quae de domo Poplicolae non ab uno scriptore narrantur. Inter quos Cicero de rep. II, 31. *aedes suas*, ait, *detulit sub Veliam posteaquam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, quo rex Tullus habitaverat, suspicionem movisset* etc. Tum Liv. II, 7. *aedificabat in summa Velia. ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. — Delata confestim materia omnis infra Veliam et, ubi nunc Vicaepotae est* [35]*, domus in infimo cliro aedificata.* Dionysius V, 19. *ὅτι τὴν οἰκίαν ἐν ἐπιφθόνῳ τόπῳ κατεσκευάσατο, λόφον ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς ὑψηλὸν ἐπεικῶς καὶ περίτομον, ὃν καλοῦσι Ῥωμαῖοι Ἐλίαν, ἐκλεξάμενος* [36]. Denique Plutarchus, Popl. 10. *Καὶ γὰρ ὄντως ὁ Οὐαλλέριος ᾤκει τραγικώτερον ὑπὸ τὴν καλουμένην Οὐελίαν, οἰκίαν ἐπικρεμαμένην τῇ ἀγορᾷ καὶ καθορῶσαν ἐξ ὕψους πάντα.* et paullo post: *Ἐδέχοντο γὰρ οἱ φίλοι τὸν Οὐαλλέριον, ἄχρις οὗ τόπον ἔδωκεν ὁ δῆμος αὐτῷ καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν, ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐΐκας Πόκας* [37]. His locis quamquam aedis Penatium mentio fit

---

35) Potuisse Bunsenium eo delabi erroris, ut, quod apud Livium est nomen Vicaepotae, mutari voluerit in Vic. palat. aedes (Victoriae Palat. aed. *Beschr. d. St. R.* III. A. p. 83.), est sane quod mireris. Quasi vero Vicae Potae nomen inter *ἅπαξ λεγόμενα* sit! Quod praeter Ciceronem, de leg. II, 11. et Senec. Apocoloc. p. 397 Ruhk. habet et Plutarchus l. l.

36) Ut denique dicam, quod sentio: mihi neque hic scribendum videtur *Οὐελίαν*, et in loco prius laudato corrigendum *ὑπ' Ἐλίαις* aut *Ὑπελίαις*. Quamquam enim rarissime factum puto, ut litera V a Graecis scriptoribus negligeretur, qui constanter literis *οὐ* vel *β* eam reddunt, tamen hic satis video causae fuisse, cur Dionysius scriberet *Ὑπελίᾳ* vel *Ὑπελίαις*. Quum enim coniunctim pronunciarentur vocabula: Subvelia, fieri non potuit, quin mollissimus et tenuissimus esset sonus literae V, nec multum aliter sonaret nomen, quam Subelia. Hinc factum puto, ut et in simplici nomine litera omissa sit. Caeterum Romanos tam Veliam quam Velias dixisse, testis est Varro.

37) Ita restituit genuinam scripturam Coraës, quum antea absur-

nulla, tamen ad eam pertinere visum est, quod Cicero dixerat Poplicolam aedificasse eo ipso loco, quo rex Tullus habitasset; Varro autem et Solinus tradiderunt Tulli regiam fuisse ibi, ubi postea fuit Penatium aedes. Praeterea scriptores Valerium narrant domum exstruxisse in loco excelsiore Veliae, Livius adeo in summa Velia, quare fieri non posse, ut templum a Dionysio commemoratum Penatium fuerit, quippe quod non longe a foro abesse dicatur. Haberent haec sane aliquam veritatis speciem, si Cicero ipse loco regiae Tulli nominasset aedem Penatium; tum enim hanc in excelsiore loco fuisse concedendum foret. Nunc autem hic quidem aedem non nominat, neque illi, Varro et Solinus, domum Poplicolae, ut iure quaeras, an eodem loco Cicero et Varro regiam Tulli fuisse crediderint; an urgenda sint verba: eo ipso in loco; unde denique uterque suam de regia Tulli notitiam petierit. Neque enim, quotiescunque veteres scriptores meminerunt locorum ipsa vetustate obscurorum et fama potius quam certo teste notorum, accuratam exspectaveris definitionem: fuit in Velia regia Tulli, fuit ibidem aedes Penatium, atque in iisdem locis aedificavit Valerius; neque tamen in eadem haec omnia fuisse area necesse est. — Postremo quod in excelso munitoque loco aedificasse Poplicola dicitur, primum nemo non videt, concedendum esse nonnihil ornatui orationis, apud Livium praesertim, poetico dicendi genere usum. Deinde, quamquam Veliae faciem credibile est multum esse mutatam, magnis ibi operibus a Neronis aetate ad Maxentium usque factis, tamen ne nunc quidem nulla est eius altitudo. Nam quae silice strata est ad Titi arcum via LIII pedibus altior est, quam fori planities, XL pedibus area basilicae Constantini iuxta aedem SS. Cosmae et Damiani, ubi aedem Penatium suspicati sumus. — Hoc autem velim mihi expediat, qui hic Veliam fuisse neget, qui Dionysio in mentem venire potuerit, ut eam diceret *λόφον ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς ὑψηλὸν ἐπιεικῶς καὶ περίτομον*, nec simpliciter partem Palatii esse dixerit. Ut enim concedamus, quod conce-

---

dissime legeretur *Οὔικος Πόπλικος*, quem codd. ignorant. Idem iam viderat Gruterus ad Senecae l. l. not. 29.

dendum non est, Varronem, priscae doctrinae studiodissimum, propter Argeorum descriptionem pertinaciter Veliam a reliqua Palatini iugi parte secrevisse, non tamen credi potest et Livium, et Dionysium, et Plutarchum eandem subtilioris doctrinae laudem adfectasse [38].

Atque utinam liceret hic finem facere orationis in refellendo errore occupatae, ut ad ea pervenirem, quae propiora huius libelli instituto et adiunctiora sunt; sed cavendum est diligenter, ne aliquo perfugio qualicunque relicto aut inibi delitescat error, aut ego sciens adversariorum rationes tacuisse dicar. Enimvero quo demonstraretur, Veliam in Palatio fuisse, in subsidium vocatus est et Asconius, qui ad Cic. in Pis. 22. ita scribit: *nam Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, Iulius Hyginus dicit in libro priore de viris claris. P. Valerio Volusi filio Publicolae aedium repul .... cum sub Velia* [39], *ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse tradunt* etc. Huic loco inconsideratius adhibito adiunctus est alter, in quo explicando pariter erratum est. Verba sunt Festi p. 262 Müll. *Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua. qui locus ab antiquis appellari solitus est Statuae Cinciae, quod in eo fuit*

---

38) Nimirum fraudi fuit Ambroschio, quod omnium minime sperassem, quod de P. Victoris, quem fingunt, auctoritate ne minimum quidem dubitavit. Is igitur aedem Penatium in decima ponit regione, recte facturus, si de Servii Palatina regione scripsisset. — Iuvat hic specimen edere diligentiae Italorum. Canina, *Indicaz. topogr.* p. 260. e Monumento Ancyrano haec affert: *Aedem Deum Penatium*, *Aedem Iuventutis* (sic!), *Aedem Matris Magnae in Palatio feci.* En tibi aedem Penatium in Palatio. Verum Augustus ita scripsit: Aedem Deum Penatium in Velia, aedem Iuventatis — in Palatio feci. ubi opponuntur sibi Velia et Palatium. cf. de harusp. resp. 8.

39) Erravit Ambroschius p. 120. quum Asconium dixisse ait, domum Valerii fuisse *in infimo clivo Victoriae.* Is scripsit, ut nos dedimus. Apud Livium est: *in infimo clivo* scil. Veliae. Clivum Victoriae solus nominat Festus, cui nihil erat commune cum domo Valerii, quippe ab ea longissime distanti.

sepulcrum eius familiae. Sed porta Romana instituta est a Romulo infimo clivo Victoriae, qui locus gradibus in quadram formatus est. Appellata autem Romana a Sabinis praecipue, quod ea proxime aditus erat Romam. Iam in hunc modum conclusum est: Domus Valerii modo in Palatio, modo in Velia dicitur fuisse, simul autem propter templum Victoriae. Haec Victoriae aedes fuit in clivo, qui inde Victoriae appellabatur et in eodem clivo porta quoque fuit Romana. Quam portam quum ex aliis locis, ubi Velabro propinqua dicitur, certum sit in latere occidentali Palatii fuisse, apparet Veliam, quae foro immineret, in septemtrionali montis angulo fuisse. Ad hoc iuxta portam Romanam fuerunt sepulcra Ciciorum, et quum ex Plutarcho (Quaest. Rom. 79.) constet, Fabricios quoque et Valerios apud forum sepultos esse, credibile est, ad Statuas Cincias horum quoque sepulcra fuisse. Iam vero scimus Plutarcho iterum teste (Popl. 23.), Valerium Poplicolam sepultum esse *παρὰ τὴν καλουμένην Οὐελίαν:* quare vel hinc necesse est in illa Palatii parte fuisse Veliam.

Quidquid horum attigeris, ulcus est, neque ulla medicinae nisi in ferro spes. Primum enim non animadversum est Varronem apud Asconium nominare M. Valerium (Corvum, ut videtur), cui aedes datae sint in Palatio, non P. Valerium Poplicolam; neque huic locum datum esse aedificandae domui, *quia saepius vicerat*, sed ad compensandum domus destructae damnum; tum vero Valerium Antiatem, levissimae auctoritatis scriptorem suspectaeque etiam apud veteres fidei, narrare nescio quem Valerium Maximum, cui de Poplicolae foribus fabulam affinxit. Tertium demum, cui datae sint publice aedes, Poplicolam addit Asconius, non cui in Palatio datus sit locus, sed sub Velia. — Deinde quod attinet ad aedem Victoriae, quam sub Velia fuisse scribit Asconius, malim equidem in Garatonii pedibus ire sententiam, ex Livii et Plutarchi auctoritate corrigendum esse: *ubi nunc aedes Vicaepotae est.* Nam licet Vicaepotae notionem ac numen cognatum fuisse Victoriae vel inde colligas, quod Cicero de leg. II, 11. a vincendo et potiundo nomen derivat, tamen ipsam cum Victoria commutatam et eodem nomine cultam esse non est credibile,

sed a Romanorum circa sacra superstitione alienissimam. Sed ut mutaverit nomen Asconius et pro sacello Vicaepotae posuerit aedem Victoriae; ne tum quidem hanc aedem ad clivum Victoriae quidquam attinere certissimum est. Qui quidem clivus cognominatus est ab aede Victoriae, quae in ipso fuit Palatii vertice, vetustissimo illo delubro, quod ante Urbem conditam ibi fuisse ferebatur, ab Arcadibus institutum. Dionys. I, 32. *ἐπὶ δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ λόφου τὸ τῆς Νίκης τέμενος ἐξελόντες, θυσίας καὶ ταύτῃ κατεστήσαντο διετησίους, ἃς καὶ ἐπ' ἐμοῦ Ῥωμαῖοι ἔθυον.* Nimirum hic fuit templum a L. Postumio dedicatum (Liv. X, 33.), in quo primum Magna Mater posita est. Liv. XXIX, 14. *in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere deam.*, atque hic dedicata a M. Porcio Catone Victoriae Virginis aedicula, XXXV, 9.: *prope aedem Victoriae.* Non igitur clivus Victoriae a sacello in infima parte sito cognominatus fuit, quod dubito an in ullo sit factum, sed a templo in alto monte posito, quo ducebat; ut a Capitolio clivus Capitolinus, a Salutis templo clivus Salutis, a Martis clivus Martis.

Sola restant sepulcra Ciciorum, quae vidimus dici ad portam Romanam fuisse. Quod si verum esset, nihil tamen ad nos pertinere dicerem; quid enim causae est, cur in eodem, quo Valeriorum, loco ponantur? Nunc autem et in Festi verbis graviter erratum est, qui diserte negat, portam Romanam ad Statuas Cincias fuisse. Consuevisse ait populum, eum locum, ubi ex epistylio defluat aqua, quem antiqui vocarint Statuas Cincias, appellare portam Romanam; eam vero illo loco non esse, sed institutam a Romulo infimo clivo Victoriae. — Iam nihil esse reliquum, quo fretus in summo monte Veliam fuisse aliquis dicat, et totam hanc opinionem corruisse video, ut clare appareat, appellari hoc nomine illud iugum, quod ab arcu Titi Esquilias versus porrigitur. In quo tamen ne erres, animadvertendum est, eam iugi partem, qua ad fori planitiem Sacra via descendere incipit, nunquam Veliam dici, sed summam Sacram viam, Veliae nomine reliquae parti relicto.

De porta Mugionis et porta Romanula.

Haec, ut pedetentim et gradatim ad ipsam rem esset accessus, praemittenda sunt visa: nunc redeamus ad illud, unde divertimus, ut portarum situm definiamus. Apparet autem, utiliter illa, quamvis copiose, esse disputata, siquidem quibus locis fuerint portae ipsa iam res declarat et inepta Italorum somnia tenuem evanescunt in auram. De quibus generatim atque universe dicam, vix digna esse, quae commemorentur. Apud Lucium Faunum, Fulvium Ursinum, Gamuccium, Marlianum, Panvinium οὐδὲν ὑγιές. Donatus alteram tamen portam, Mugoniam, recte constituit. Nardinus rationibus perperam institutis eo pervenit, ut portam Mugoniam eandem fuisse opinaretur, quam Romanam; hanc tamen suo loco posuit. Itaque utriusque portae situs, quamquam non ab eodem viro, recte fuit constitutus, nec magni operis erat, conciliatis amborum sententiis verum invenire. Sed Nibbyus, qui erat eius de Nova via error, non poterat emergere ad lucem: itaque portam Mugoniam inter aedes S. Theodori et S. Anastasiae fuisse affirmavit. Cui opinioni quamquam Dionysius (II, 50.) aperte adversabatur, tamen aequum est visum, Graeco scriptori (licet XXII annos Romae degerit) nullam esse contra Livium et Solinum fidem. Sequebatur autem inde necessario portam Romanam in septemtrionali montis latere fuisse. Ita Caninam quoque statuisse, non est quod miremur, et videtur haec esse hodie communis Italorum sententia. — Multo rectius de situ portarum statuit Sachsius [40]), vir diligentissimus, cui collatis inter se, quae veteres scriptores tradunt, et prudenter perpensis non poterat esse dubium, quibus regionibus fuerint; nisi locorum ipse ignarus certius quidquam affirmare non ausus est. Bunsenius de Mugonia probabiliter dixit, fuisse eam versus arcum Titi („nach dem Titusbogen hin.“ t. III. A. p. 83.): de Romanula tacet; nam quae in primo volumine de portis Romuli scripta sunt (p. 144.), ea partim obscura sunt, partim falsa. Amboschius denique,

40) *Geschichte d. St. Rom.* I. p. 58 sqq.

quum de Sacrae viae longitudine et de clivo Victoriae non recte statuisset, non poterat veros agnoscere ad Palatium aditus; qua vero regione utraque fuerit porta recte indicavit.

Primum igitur dicam de porta Mugionis, quae bis nominatur a Varrone, L. L. V, 34. p. 164 Sp. *Praeterea intra muros video portas dici: in Palatio Mucionis* [41]) etc. Id. ap. Non. XII, 51. p. 531 Merc. p. 363 Gerl. *Aucum in Palatio ad portam Mugionis secundum viam sub sinistra* [42]). Eadem Mugionia dicitur a Paul. Diac. p. 144 Müll. *Mugionia porta Romae dicta est a Mugio quodam, qui eidem tuendae praefuit.*, Mugonia apud Solin. 1, 24. *Tarquinius Priscus ad Mugoniam portam supra summam Novam viam.*, apud Dionys. II, 50. *Μυκωνίδες πύλαι*. Caesarum aetate quum princeps ea ad Palatium esset aditus, mutato nomine dicebatur Vetus porta Palatii, ut docet comparatio veterum scriptorum. Ad eam insectantibus Sabinis fugisse Romanos fama erat. Liv. I, 12. *confestim Romana inclinatur acies fusaque est ad Veterem portam Palatii.* atque hic templum Iovi Statori vovit Romulus. Liv. l. l. Dionys. II, 50. *(ἱερὰ) Ῥωμύλος μὲν Ὀρθωσίῳ Διῒ παρὰ ταῖς καλουμέναις Μυκωνίσι πύλαις, αἳ φέρουσιν εἰς τὸ Παλάτιον ἐκ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ.* Ovid. Trist. III, 1, 31.

Inde petens dextram: Porta est, ait, ista Palati:
Hic Stator, hoc olim condita Roma loco est.

Vidimus autem in summa Sacra via positam fuisse statuam equestrem Cloeliae (Liv. II, 13. Dionys. V, 35. Plutarch. Popl. 19.) et eandem fuisse contra aedem Iovis Statoris

---

41) Mucionis dixit more prisco pro Mugionis, ut Cermalum habes pro Germalo et similia. vid. Schneider, *Ausführl. Lat. Grammat.* I. p. 231 sqq. conf. Müller, *Etrusk.* I. p. 269. et Plutarch. Quaest. Rom. 54. *καὶ τὸ κ πρὸς τὸ γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς· ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα κ. τ. λ.* — De origine nominis dissentiunt Grammatici. Varro a mugitu derivat, Festus, si Paulo fides, a Mugio quodam (at oportuit saltem Mugionem esse). Equidem de his et similibus utcunque erit existimatum, haud in magno ponam discrimine.

42) Solinus, quum dicit 1, 23.: Ancus Marcius in summa Sacra via, ubi aedes Larum, eundemne locum intelligat, an diversos uterque auctores secutus sit, affirmare non ausim; nisi ad summam Sacram viam uterque locus pertinet. Livium et Solinum antea vidimus prope templum Statoris ponere domum Tarquinii Prisci.

(Plin. XXXIV, 6, 13.); quare necesse hoc ipsum templum propter summam Sacram viam fuisse Cuius rei insuper testem habemus Plutarchum, Cic. 16. ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃ Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων. Quam enim dicit Plutarchus ἀρχὴν τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, ea est summa Sacra via, ubi eius erat exitus. Verba πρὸς τὸ Παλάτιον ἀνιόντων significant: qua ascenditur in Palatium [43]. Hic igitur fuit porta Mugionis, et quod principio posuimus, ibi quaerendas Urbis antiquissimae portas, ubi naturales essent ad montem accessus, ei praecepto iam satisfactum videmus. Nam prope arcum Titi unicus est in septemtrionali latere aditus; eum dico, qua nunc ascenditur ad aedem S. Bonaventurae (ubi Villa Spada, hodie Mills). Inde ad forum usque mons praeruptior accessusque difficilis; nisi credas (quod Ambroschius voluit, p. 116.), Romulum scalis ascendere in Urbem maluisse.

Portae Romanulae, ita enim Varroni appellatur, Festo Romana, rarior est mentio, ita tamen, ut vel sic, quo loco fuerit, minime sit obscurum. Primum Varro inter portas, quae intra muros sint, secundo eam nominat loco. L. L. V, 34. p. 164.: *Alteram Romanulam, ab Roma dictam, quae habet gradus in Navalia ad Volupiae sacellum.* Olim animadversum est, portam in Palatii radicibus sitam non potuisse habere gradus in Navalia, longe a Palatio distantia; neque vero potuit intra muros esse ea, quae iuncta Navalibus esset, ipsis ad Tiberim extra urbem patentibus. Caeterum, quidquid meliorum librorum est, non agnoscunt nomen, sed in plerisque est *Novalia*, unde certissima coniectura emendavit Scaliger: *in Nova via,* quod iure recepit Müllerus. Ipse enim Varro L. L. VI, 3. p. 205., quem locum iam antea laudatum iterum ponam, eo pertinuisse Novam viam auctor est. *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut aiunt quidam, ad se-*

43) Mirati sunt hoc dicendi genus Bunsenius (t. III. A. p. 79.) et Ambroschius (p. 114.); cum enim exitum potius esse viae Palatium petentibus. Scilicet cui ascensuro in Palatium circa arcum Titi caput Sacrae viae esset, eum necesse est venisse a parte amphitheatri, non ipsa Sacra via.

pulcrum Accae, ut quod ibi prope faciunt Diis Manibus servilibus sacerdotes; qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula, de qua in priore libro dixi. Accedit denique Festi locus p. 262., ubi infimo clivo Victoriae eam portam a Romulo institutam dici vidimus. Idem Festus p. 269. aliud olim portae nomen fuisse docet; sed in ipso nominis loco lacuna est.

Iam etiamsi minus curiose locum demonstrasset Varro, tamen ibi ponenda foret, qua ingenio loci aditus ad montem datur. Est autem in hac quoque Palatii regione unicus aditus is, ubi Nardinus, Nibbyus et Canina portam Mugionis esse voluerunt, haud procul ab aede S. Theodori, versus aedem S. Anastasiae. Quem ipsum locum Varro significat; contra enim fuit Velabrum, quod testatur aedes S. Georgii in Velabro cognominata, atque hic in ipso Velabri exitu, prope portam Romanulam sacra illa fieri solita scribit. — Hic igitur fuit et clivus Victoriae, cuius in infima parte portam institutam legimus. Templum Victoriae in qua Palatii parte fuerit traditum non est; sed tamen fieri vix potest, quin ea regione fuerit, quae ad Aventinum montem conversa est, et fortasse non inepte eo referetur Victoria Germaniciana, quam in his locis Notitia nominat. — Novae viae, quae ad portam usque pertinebat, situs inferior porta fuisse videtur, quare fuit ante clivum, quemadmodum Festus narrat, locus in quadram formatus, cuius in tribus lateribus gradus essent in viam. Hinc et Varro dixit habere portam gradus in Nova via. — Postremo huc spectat Taciti locus, qui Othonem in his locis, per clivum nimirum Victoriae, e Palatio descendisse narrat Hist. I. 27.: *per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad Miliarium aureum sub aedem Saturni.* Fuisse enim domum Tiberianam in hoc montis latere inde apparet, quod Vitellius ex illa incendium Capitolii prospexit. Sueton. Vitell. 15. *cum et proelium et incendium e Tiberiana prospiceret domo inter epulas.*

Praeter has tertiam fuisse urbis Palatinae portam dubium videri non potest, nisi quod nihil de ea proditum legimus; nam quod Trigoniam nescio quam narrant topographi Festique editores, hoc nomen unde petitum sit, fateor me nescire. Ni-

mirum corruptum est nomen Mugoniae. Credibile autem est, tertiam portam fuisse circa meridianum montis angulum, ubi Septizonium exstruxit Severus; mox addito Caelio monte, quum haud procul institueretur porta Capena, priorem esse desiisse. Id, puto, causae fuit Pialio, ut in ipso Palatio antiquiorem portam Capenam fuisse existimaret.

De porta Ianuali.

Ab Urbe condita ad Servii Tullii aetatem quoties quibusque modis auctus et amplificatus sit ambitus, varie a scriptoribus traditur. Primum enim Romulus in monte Saturnio, qui postea Capitolinus, asylum aperuisse, deinde instante cum Sabinis bello et hunc montem et Aventinum munivisse narratur (Dionys. II, 15. 37.); arcem Capitolinam deinde proditione Tarpeiae virginis (quae vulgaris est fama) in Tatii potestatem venisse. Ex harum tenebris fabularum vix quisquam ad lucem emerget; hic autem totam de iis quaestionem omittere licet, quum sponte intelligatur, re ipsa incerta et fabulosa, nihil nos quidquam de rei ratione modoque scire posse. Possem tacere de eo quoque tempore, quum pace inter Romanos et Sabinos facta aut una ambas gentes urbs complectebatur, aut, quod aliis visum est, separatae utrorumque urbes iuxta colebantur; nisi illius aetatis porta fuisse diceretur, quam tertiam intra muros se nosse ait Varro. Is enim postquam de Mugionis porta et Romanula dixit, ita pergit: *Tertia est Ianualis, dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in Annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi quum bellum sit nusquam.* Vides, Ianualem portam dici nobilissimum illud Iani Bifrontis templum, quod ad Varronis aetatem bis tantum clausum esse meminerant Romani. De quo Plut. Num. 19. *Ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς ἐν Ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι.* cf. de fort. Rom. 9. Neque aliter Virg. Aen. VII, 607. *Sunt geminae belli portae.* et I, 294. *Claudentur belli portae.* Narrat Servius ad hunc locum et XII, 198. esse quosdam, qui factum a Romulo et Tatio templum perhibeant, sed a Numa dicatum et Piso apud Varronem auctor est, et pariter tradunt Livius et Plinius. Positum fuit ibi Iani signum

Bifrontis, altero orientem, altero vultu occidentem solem prospiciens. Testis est et Ovidius Fast. I, 139., ubi Ianus:

Sic ego prospicio coelestis ianitòr aulae
Eoas partes Hesperiasque simul.

et qui copiosior hac de re, Procop. Bell. Goth. I, 25. *ὁ δὲ νεὼς ἅπας χαλκοῦς ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἕστηκε, τοσοῦτον μὲν ὅσον ἄγαλμα τοῦ Ἰάνου σκέπειν. ἔστι δὲ χαλκοῦν οὐχ ἧσσον ἢ πηχῶν πέντε τὸ ἄγαλμα τοῦτο, τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἐμφερὲς ἀνθρώπῳ, διπρόσωπον δὲ τὴν κεφαλὴν ἔχον, καὶ τοῦ προσώπου θάτερον μὲν πρὸς ἀνίσχοντα, τὸ δὲ ἕτερον πρὸς δύοντα ἥλιον τέτραπται. θύραι τε χαλκαῖ ἐφ' ἑκατέρῳ προσώπῳ εἰσὶν κ. τ. λ.* Igitur quum gemini essent vultus geminaeque templi portae, ipse Ianus Geminus appellabatur, teste locupletissimo Varrone [44]) L. L. V, 32. p. 156 Sp.: *Lautolae a lavando, quod ibi ad Ianum Geminum aquae caldae fuerunt.* Cui subscribunt Plin. XXXIV, 7, 16. *Ianus Geminus a Numa rege dicatus.* cf. XXXIII, 3, 13. Iul. Cap. Gord. III. 26. *aperto Iano Gemino.* Oros. IV, 12. *porta Iani Gemini clausa.* De loco templi si quaeris, audi Livium I, 19.: *Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit* (Numa). Quare, quum eadem fuerit porta secundum Varronem, quod templum, si sciamus, qui locus Argiletum appellatus sit, poterimus tertiae vetustate portae situm probabiliter definire. Ecce autem eximia benignitate de Argileto certiores nos facit Servius, qui ad Virg. Aen. VII, 607. in hunc modum scribit: *Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis templis. Duobus autem propter Ianum Bifrontem. Postea captis Faliscis, civitate Tusciae, inventum est*

---

44) Hunc Varronis Geminum Ianum non mirum est adeo Sachsio fuisse incommodum, ut contenderet corrigendum *ad Ianum Quirinum* (t. I. p. 127.). Pariter Plinium caeterosque emendemus necesse est. Scilicet haec est omnium optima ratio, ut si quid in libris veterum non congruat cum tua opinione, scriptorum sententias iugules, verba genuina extrudas, reponas id, tibi quod commodum sit. Caeterum apud illum de Iano meri errores; maxime tamen miror, quo argumento Plinium XXXIII, 3, 13. *Nota aeris fuit ex altera parte Ianus Geminus, ex altera rostrum navis etc.* de duplici porta loqui dicat, quum notam aeris Romani geminum Iani caput fuisse vel pueri sciant.

simulacrum Iani cum frontibus quatuor. Unde quod Numa instituerat translatum est ad forum Transitorium et quatuor portarum unum templum est institutum. In his quamquam fortasse reprehendes, quod captis Faleriis Ianus Quadrifrons in foro Transitorio dicitur positus, quem Domitianus demum dedicavit, ipsius fori Transitorii auctor; tamen meritas viro optimo habebis gratias, quod apertissime locum Argileti demonstravit, ad theatrum Marcelli, quod ex parte etiamnum superstes est. Sed tamen miror, quum Ianus ibidem fuisse dicatur, qui fieri possit, ut idem in foro Romano fuerit, quod a theatro Marcelli toto Capitolio interiacente diremtum est. An in foro fuisse negemus? En tibi testem Procopium l. l. *ἔχει δὲ τὸν ναὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου, ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία Φᾶτα. οὕτω γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν.* Quocum compara Dionem Cass. LXXIII, 13. qui de Didio Iuliano: *ἐπειδὴ πρὸς τὸ συνέδριον ἦλθε καὶ τῷ Ἰανῷ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν αὐτοῦ θύσειν ἔμελλεν.* et cap. 14. *ὅτε τὰ εἰσιτήρια πρὸ τοῦ βουλευτηρίου ἔθυεν ὁ Ἰουλιανός.* Deinde Ovid. Fast. I, 257.

Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?

Quem ne forte credas innuere forum Olitorium et Piscarium, cf. Senec. Apocoloc. p. 396 Ruhk. *primus interrogatur sententiam Ianus pater — qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit* etc. Postremo Schol. Cruq. ad Hor. Sat. II, 3, 18. *Iani autem statuae (!) tres erant: una in ingressu fori, altera in medio, ubi erat eius templum, prope basilicam Paulli, vel pro Rostris. huc concurrebant et potissimum suas stationes habebant foeneratores, alii ad reddendum foenus, alii ad accipiendum. Tertia autem statua erat ad exitum fori.* cf. ad epist. I, 1, 54. 20, 1. Qui quamquam de Ianis fori Romani mirifice erravit, pro perviis transitionibus statuas fuisse opinatus, tamen memorabile est, quod ad Ianum medium templum dei fuisse monet. — Itane ergo in foro Romano Ianus Geminus, idemque ad theatrum Marcelli? An ibi vero Ianus a Numa dedicatus, in foro alius nescio qui? Immo in foro Ianus Bi-

frons, neque alterum eius in Urbe simulacrum. Ovid. l. l. *Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in uno?* Mira sunt: nisi forte erravit de Argileto Servius, atque, ut fit, una re falso tradita atram vv. dd. animis caliginem offudit. Atque ita esse, dignissimum fide auctorem Martialem exhibeam, qui tribus locis exoptatissimis Argileti mentionem fecit. Primum is librum suum, ne scrinia tuta linquat, dehortans ita sermonem instituit I, 3.:

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent?

ex quo nihil tamen discimus, nisi in Argileto fuisse eam tabernam, ubi venales prostarent epigrammata poetae. Bene igitur factum est, quod alio in loco disertior fuit, ubi Lupercum quendam, qui ab ipso libellum petierat, emere eum in taberna iubet, I, 117, 8.

Quod quaeris, propius petas licebit.
Argi nempe soles subire letum:
Contra Caesaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas.
Illinc me pete, ne roges, Atrectum;
Hoc nomen dominus gerit tabernae.

Tertium locum mox addam postquam praemisero quartum, in quo Argileti quidem nomen non est, sed eadem significatur taberna. I, 2, 5.:

Ne tamen ignores, ubi sim venalis, et erres
Urbe vagus tota, me duce tutus eris:
Libertum docti Lucensis quaere Secundum
Limina post Pacis Palladiumque forum.

Iam certissimum est, forum Nervae sive Transitorium, quod a templo Minervae Palladium dicitur poetae, templumque Pacis et Caesaris forum in iisdem regionibus sibi fuisse vicina, unde eandem dici tabernam apparet. Neque id tibi offensae sit, quod in priore epigrammate librarius appellatur Atrectus, in hoc Secundus: scilicet vocabatur libertus ille Secundus Atrectus. Cuius taberna quum fuerit post forum Nervae et templum Pacis, necesse est ibi Argiletum quoque fuisse. Quod quum vel sic

satis sit certum, egregie confirmatur iis, quae idem poeta scribit lib. II, 17.

Tonstrix Suburae faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor.

De Subura enim nemo dubitat, quin fuerit inter Esquilinum, Viminalem et Quirinalem, quod testatur insuper nomen aedis S. Agathae in Subura; qui locus verissime dicitur esse post forum Nervae et Pacis (circa basilicam Constantini) templum. Primae vero Suburae fauces recte videntur circa ea loca poni, ubi Esquilinus mons et Quirinalis collis prope concurrunt; quare quum Argileti principium sit apud fauces Suburae, infima pars ad forum Romanum, clare apparet, hoc nomine eum locum appellatum esse, qui a Quirinalis collis radicibus in forum et Capitolium vergit. Magnam eius partem imperatorum fora occuparunt, et videtur nomen illi tantum mansisse parti, quae post Nervae et Caesaris fora et Pacis templum fuit. Ita necesse est statuas, nisi aut duplex Argiletum, aut duplicem Suburam [45]) fuisse malis; siquidem ista sic reciprocantur, ut si ad theatrum fuerit Argiletum, ibi et Subura, si, quo diximus loco, Subura, ibi et Argiletum fuerit. Ego vero, si quis geminare alterutrum locum velit, eum non moror; nugas atque ineptias esse dicam.

Unde igitur factum existimemus, ut Servius Ianum Bifrontem ipsumque Argiletum ad theatrum Marcelli esse diceret? Nempe fuit et alterum Iani templum, quod illo in loco struxerat C. Duilius bello Punico primo. Reficere coeperat Augustus, dedicavit Tiberius. Tacit. Ann. II, 49. *Iano templum, quod apud forum Olitorium C. Duilius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit.* Huius templi meminit Festus p. 285 Müll. *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi et in aede Iani, quae est extra eam, Senatum haberi: quod ea egressi*

45) Non est tacendum, in inscriptione apud Marinum (*Atti dei fratelli arvali.* I. p. 347.), Orell. I. n. 8. *Suburae maioris* mentionem fieri. Fuit igitur et minor, quem fuisse vicum in iisdem locis facile tibi persuadebis. Caeterum ubiubi fuerit nostra non interest; Martiali enim Subura sub colle Quirinali dicitur, in quo ipse habitabat.

sex et trecenti Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Iani S. C. factum esset, ut proficiscerentur. Hinc in Fastis Capranicorum a. d. XVI Kal. Sept. notantur sacra: *Iano ad theatrum Marcelli.* Caeterum Festus toto coelo erravit. Neque enim post Fabiorum cladem tota Carmentalis porta scelerata est habita, sed dexter tantum eius, per quem illi exierant ianus sive fornix; qua de re cf. Liv. II, 49. Ovid. Fast. II, 201 (ubi vereor ne deteriorem scripturam revocarit Merkelius) [46]. Neque in aede Iani illud S. C. factum, quantum e Livii narratione intelligitur; neque ante C. Duilium id templum fuisse proditum est. Quod quale fuerit nescimus; nisi simulacrum Iani ibi non fuisse demonstrant verba Ovid. Fast. I, 257. Nam quod apud Plin. XXXVI, 5. n. 28. *Ianus pater in suo templo ab Augusto dicatus* dicitur, id pertinere ad Ianum Bifrontem Numae vel inde colligas, quod a Tiberio demum tribus annis post mortem Augusti Iani templum apud forum Olitorium dedicatum est. Aliter sane statuit Merkelius, Prolegg. ad Ovidii Fast. p. CCLXIII.; sed cum de templis Iani errasse ostendam, quum de porta Carmentali mihi dicendum erit. — Hinc ille Servii error. Esse Iani templum ad theatrum Marcelli noverat, simul autem legerat Numam Ianum dedicasse ad infimum Argiletum: non mirum eum locorum ignarissimum de Argileto apud forum Olitorium cogitasse.

Num quid causae est, quin totam illam de Iano Numae ad Marcelli theatrum fabulam explosam atque eiectam dicamus? Nihil video esse; nisi praevertendum mihi est, quidquid telorum a Servii patronis in me dirigi possit. Nimirum commemoratur Argiletum etiam a Varrone, atque inter ea loca, ex quorum vicinia coniecturam quis fortasse faciat de regione, qua fuerit. L. L. V, 32. p. 157. Verum ex hoc Varronis loco nemo argumentum petet, nisi qui non perspexerit, quae sit scriptoris in explicandis nominibus ratio. Qui quidem minime id agit, ut Ciceroni, quasi ignaro, certis regionibus Urbem describat et singula loca certo ordine recenseat; sed ea capitulatim adtingit, quae generis similitudine coniuncta sunt. Itaque

46) Cf. quae infra dicuntur de porta Carmentali.

primum de foris et macellis agit; deinde de arce et carcere (quoniam arcet utrumque); tum de arbustis; de circis; de iis quae sunt comitii. Iam transit ad loca latius patentia, quas regiones fere dicimus: in his nominantur Lautolae (quae et ipsae fuere ad Ianum Geminum), Aequimelium, Ad busta Gallica, Doliola, Argiletum. Deinde clivos ac postremo vicos quosdam recenset. Vides igitur, non magis ad Argiletum pertinere Doliola, quam clivum Publicium ad Capitolium vetus aut ad Lauretum Fagutal. Perspexerat hoc ex parte Müllerus (ad §. 152.), nisi quod nescio quem tamen ordinem Varronem secutum esse paullo post statuere videtur (§. 157.). De Argileto vero erravit. Verba eius haec sunt: „De Argileto multa lis. Ex Virgilio tamen, Aen. VIII, 345., inter Tarpeiam rupem et Lupercal fuisse intelligitur; neque id refragatur ordini locorum, quem Varro sequitur.“ Ergo postremo poetam audiamus, quem mihi non adversum sed propitium esse intelligo. Sunt autem versus hi:

Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam. —
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit etc.

Itane ergo inter rupem Tarpeiam et Lupercal Argiletum, quum ab ara Carmentae, quae fuit sub rupe, veniens primum Lupercal, deinde Argiletum monstraverit? Immo a Lupercali, cuius inter aedes S. Theodori et S. Mariae Liberatricis fuisse videtur locus, in forum descendendum erat, ubi aditus esset ad Capitolium. Eo eunti contra et proximum quidem fuit Argiletum, siquidem in infima eius parte stabat Ianus, fori accola.

Ianum tibi Bifrontem apud forum Romanum constitui; sed accuratius templi portaeve locum a me definitum iri nequidquam sperabis. Quod si fieri oporteret, dicendum foret antea de Lautolis et obscura illa fabula, quam referunt Ovid. Fast. I, 261 sqq. Macrob. Sat. I, 9. Serv. ad Virg. Aen. I,

295., tum de curia, de Tribus fatis, de basilica Paulli, de toto denique foro Romano. Quae quidem quamvis copiose dicerem, si res postularet, nec timerem, ne nimium multa complecti atque ab eo, quod propositum est, longius aberrare dicar: praesertim quum operae parcere possim. Dico enim totam quaestionem a meo instituto esse alienam, qui persuasum habeam, portam Ianualem nunquam fuisse. Ac ne quis putet, me contra Varronis auctoritatem pugnare velle, ita potius existimet, Iani templum, quod pervium esset semperque pateret, portae instar, aditum vero ea in Urbem nunquam fuisse. Quid enim? quum collem Quirinalem et Capitolium Sabini, Palatium et Caelium (ut aiunt) Romani implessent, quibuscunque post pacem finibus urbem terminatam statuamus, non in media urbe Ianum esse necesse erat, qui staret in foro? At ingeniose rem sibi expedire praeeunte Niebuhrio visus est Bunsenius. Non enim post foedus urbes coniunctas esse, sed pacatas quidem et socias iuxta, moenibus autem diremtas fuisse. Propterea institutam esse illam inter urbes portam, quae belli tempore pateret, ut invicem opem sibi ferre possent, pace restituta clauderetur, ne inter populos vixdum conciliatos rixae et dissidia orirentur. Audio; sed praeterquam quod plerique omnes Ianum Numae acceptum referunt, quo tempore una fuit Urbs, fateor praecipue me mirari situm portae. Quae enim eius patebant valvae, earum altera, ut Ianus ipse, orientem spectabat, altera occidentem, quum Romanorum urbs meridiem versus, Sabinorum a septemtrione esset. Quare manifestum puto esse, hanc quidem portam nullo modo potuisse communem utriusque urbis aditum esse. Quin potius concedamus, templum illud semper apertum et pervium vulgo eadem ratione portam dici solitam, qua alii fornices et iani, qua de re infra plura dicentur.

Restat, ut verbo saltem, ne insciens praeteriisse dicar, portae Pandanae mentionem faciam. Hanc Roma antiquiorem, Saturniae scilicet urbis ipsamque Saturniam olim dictam scribit Varro L. L. V, 7. p. 48 Sp. eademque Solin. I, 13. Ex quo nihil amplius discimus, nisi fuisse eius nominis in Capitolino monte veterem fornicem. Longe alia tradit Polyaenus, Strat. VIII, 25. Fuisse quippe inter foederis

Gallici conditiones, ut una semper arcis porta pateret; quod quum temerarium putassent Romani, ut religione tamen se solverent, factam esse portam in praerupto monte: *ἵνα δὲ κατὰ τὰς συνθήκας ἅπαντα ποιῆσαι δοκοῖεν, ἐπὶ πέτρας ἀπροσβάτου πύλην ἠνεῳγμένην κατεσκεύασαν.* Forsitan eodem spectant, quae leguntur apud Paul. Diac. p. 220 Müll. *Pandana porta dicta est Romae, quae semper pateret.* Caeterum affirmare non ausim, an aliquo modo huc spectent quae de occupato ab Herdonio Capitolio scribit Dionys. X, 14. *καὶ διὰ τῶν ἀκλείστων πυλῶν (εἰσὶ γάρ τινες ἱεραὶ πύλαι τοῦ Καπιτωλίου κατά τι θέσφατον ἀνειμέναι· Καρμεντίνας αὐτὰς καλοῦσιν) ἀναβιβάσας τὴν δύναμιν, εἶχε τὸ φρούριον.* Quae eiusmodi sunt, ut confudisse eum res diversissimas credam. Nam Carmentalis porta a Pandana certe alienissima est, nec credibile eam priscis temporibus patuisse.

De Septimontio.

Antequam de moenibus a Servio Tullio Urbi circumdatis dicam — nam quae Tullo Hostilio et Anco regibus acta narrantur, ea ut incerta praetereo — explicandum mihi est vetustissimum Septimontii nomen, de quo quum abunde egerint Niebuhrius, Bunsenius et Müllerus [47]), paucis ego possum defungi. Appellabatur autem hoc nomine dies, quo in septem montibus, aut potius septem Urbis locis sacra fiebant, unde apud Suetonium, Domit. 4. *septimontiale sacrum* dicitur. Ac plerique quidem scriptores, quum septem pariter montibus Urbs contineretur, eam nominis causam fuisse referunt. Inter quos ipse Varro L. L. VI, 3. p. 206 Sp. *Dies Septimontium nominatus ab his septem montibus, in quis sita Urbs est; feriae non populi, sed montanorum modo, ut Paganalibus, qui sunt alicuius pagi.* Eodem spectant Plutarch. Quaest. Rom. 69. *τὸ δὲ Σεπτομούντιον ἄγουσιν ἐπὶ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προςκατανεμηθῆναι καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι.* Tertius accedit Ioann. Lyd. de mens. fgmt. Ca-

---

47) Niebuhr, *Röm. Gesch.* I. p. 430 (3 Ausg.). Bunsen, *Beschr. d. St. R.* I. p. 140. 685 ff. Müller. *ad Fest.* p. 341.

scol. p. 118 Bekk. *ἐν ταύτῃ καὶ ἡ λεγομένη παρ' [αὐτῶν Σεπτι]μούνδιος ἑορτὴ ἐπετελεῖτο, τουτέστιν ἡ περίοδος τῆς πόλ[εως, ὅτι ἐπὶ ἑπτὰ λ]όφους τὰ τείχη τῆς Ῥώμης ἐκτέταται. ὀνόμα[τα δὲ αὐτῶν ὄρος Παλ]ατῖνον, Ἐσκύλιον, Ταρπήϊον, Ἀβεντῖνον, Τιβο[ρτῖνον ἢ Ἰανοῦκλον, Κίσ]τιον, Βιμινάλιον.* [*παρὰ*] *δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἑτέρως, οὕτ[ως· Ἀβεντῖ]νος, Καίλιος, [Ἐσκ]ύλιος, Καπιτωλῖνος, Βελινήνσιος, Κυ[ρινά]λιος, Παλα[τῖνος].* Ita lacerum exemplar explevit editor, mira quaedam inculcans, quae qualia sint videamus. Etenim miror primum, qui sit iste Cistius mons? nam pro Cispio haberi non potest, quoniam haec Esquiliarum pars fuit, quas secundo iam loco nominatas videmus. Deinde multo magis admiror, quod Ianiculus, ad Augusti certe aetatem ab Urbe exclusus, inter septem montes esse dicitur, Caelius autem et Quirinalis excluduntur. Postremo totus perturbor, quum Ianiculum montem Tiburtinum dici video. An etiam Romae mons Tiburtinus? Quis hoc unquam nomen audivit? Immo ita potius expleri lacunam oportuit: [*Παλ*]*ατῖνον, Ἐσκύλιον, Ταρπήϊον, Ἀβεντῖνον, Τιβε[ριανὸν ἢ Καίλιον, Κυρινά]λιον, Βιμινάλιον.* Quaeris quo iure Caelium ego montem Tiberianum dictum affirmem? Colligas hoc licet e Suet. Tib. 48. ubi haec: *Publice munificentiam bis omnino exhibuit: proposito millies HS gratuito in triennii tempus: et rursus quibusdam dominis insularum, quae in monte Caelio deflagrarant, pretio restituto. — Quod tamen beneficium tanti aestimarit, ut montem Caelium appellatione mutata vocari Augustum iusserit.* Paullo aliter Tacit. Ann. IV, 64. *Adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies sita in domo Iunii senatoris inviolata mansisset.* Quamquam igitur Tacitus et Suetonius Augustum montem appellatum iussu Tiberii narrant, neque vulgare hoc nomen factum unquam videtur, sed paullo post abiectum, tamen credibile est, Lydum, quem variis admodum usum esse libris constat, in aliquo exemplari reperisse Caelium a Tiberio cognominatum esse. Eo enim ducunt primae nominis literae, et Caelius cum Quirinali in septem montium numerum restituatur necesse est.

- Verum ad illos septem, in quibus Urbs sita est, montes, Septimontii nomen nihil quidquam attinere, apparet ex iis, quae secundum Antistium Labeonem Festus tradit p. 348 Müll. *Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriae. Palatio, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur. Veliae, cui item sacrificium. Fagutali, Suburae, Cermalo, Oppio. Caelio monti, Cispio monti.* Alter Festi locus p. 340. mutilus totus. Habes autem apud eum non septem, sed octo montium nomina, quare Niebuhrius omitti Suburam praecepit, quem primum secutus Bunsenius rectius postea Caelium eiecisse videtur. vid. Müller. p. 341. — Quamquam igitur feriarum hoc nomen est, tamen suspicatus est Niebuhrius, idem pertinere ad ambitum Urbis, qui ante Servium fuerit. Nihil ausim affirmare in re tam obscura; nisi id miror, quum Servius addidisse urbi Esquilinum montem tradatur, quid sit quod Oppius et Cispius montes, quae extremae Esquiliarum sunt partes, in Septimontio Servio antiquiore fuisse dicantur. Neque tam levi contentione infringi posse videntur, quae produntur a Festo p. 321. *Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt, nam vere sacro nati erant.* — Caeterum fama de Septimontio pervenisse videtur ad Servium quoque, quem vide, ad Aen. VI, 784.

De moenibus portisque Servii Tullii.

Accidit Tarquinio Prisco, quod multis, ut operis magno animo coepti gloria non ad ipsum, sed ad eum perveniret, qui inchoata nec tamen absoluta perfecisset. Qui enim nunc maxime Servii Tullii dicitur murus, eum a Tarquinio Urbi circumdatum aut certe exstrui coeptum veteres scriptores minime diffitentur. Inter quos Dionys. III, 67. his usus est verbis: *καὶ τὰ τείχη τῆς πόλεως αὐτοσχέδια καὶ φαῦλα ταῖς ἐργασίαις ὄντα πρῶτος ἐδοκίμασε λίθοις ἁμαξιαίοις εἰργασμένοις πρὸς κανόνα κατασκευάζειν.* unde, quantum ipse perfecerit et quid reliquum fecerit successori, non apparet. Livius parasse quidem Tarquinium murum circumdare Urbi ait, sed totum opus in Servium conferre videtur; qui de Prisco lib. I, 36. *Muro*

quoque, inquit, *lapideo circumdare Urbem parabat, quum Sabinum bellum coeptis intervenit.* atque iterum cap. 38. *Nam et muro lapideo, cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, urbem qua nondum munierat, cingere parat;* de Servio cap. 44. *Aggere et fossis et muro circumdat Urbem: ita pomoerium profert.* Contra Aurelius Victor, non magnae apud plerosque auctoritatis scriptor, sed nequaquam tamen proterve repudiandus, Tarquinium muri, Servium aggeris auctores facit. de vir. ill. 6. *Murum lapideum Urbi circumdedit.* et 7. *collem Quirinalem et Viminalem et Esquilias urbi addidit; aggerem fossasque fecit.* Caeterum, uter veriora prodiderit, non multum refert, dummodo sciamus, Servium denique septem colles complexum esse eiusque moenia ad seram imperatorum aetatem Urbis fecisse finem.

Quorum moenium ambitum hodie inventu esse perquam difficilem, facile tibi persuadebis, si animadvertas, iam Dionysii aetate vestigia murorum scrutanti eum fuisse δυσεύρετον. Nunc postquam vestigia aut nulla, aut exilia et incerta superant, eo res pervenit, ut ex iis, quae de universo circuitu deque situ portarum disperse scriptores narrant, de ductu murorum coniectura facienda sit. Et solent topographi primum plerique examinatis Dionysii et Plinii rationibus totius urbis ambitum constituere, deinde de singulis partibus earumque portis dicere: nobis inverso rem ordine agere visum est, ut de singulis portis quaerentes pedetentim progrediamur atque ubi totam certis spatiis urbem circumcirca terminaverimus, tum demum ea comparemus, quae de amplitudine urbis universae traduntur. Quae portae ut suis locis constituantur, primum omnium animadvertendum est, Servium, sive Tarquinius fuit, in circumdandis Urbi moenibus id maxime egisse, ut praescriptos locorum ingenio fines sequeretur et montium magis celsitudine praeruptisque saxorum crepidinibus, quam muris urbem muniret. Id quod planissime docet Cicero de rep. II, 6. *cuius is est tractus ductusque muri cum Romuli, tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex omni parte arduis praeruptisque montibus, ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maximo aggere obiecto fossa*

cingeretur vastissima, atque ut ita munita arx circumiectu arduo et quasi circumciso saxo niteretur. Hoc est nimirum illud, quod idem dixit lib. I, 26. *locis manuque sepire.* Eundem murorum ductum significat Dionys. IX, 68. *καὶ τὰ μὲν ἐπὶ λόφοις κείμενα καὶ πέτραις ἀποτόμοις, ὑπ' αὐτῆς ὠχυρωμένα τῆς φύσεως καὶ ὀλίγης δεόμενα φυλακῆς.*

De numero autem portarum earumque nominibus magnam videas esse inter topographos dissensionem. Sunt qui Servii portas XXIII numerent, aut amplius etiam; sunt qui XVIII solas admittant, admirantes utrique Plinii liberalitatem, XXXVII sua aetate fuisse testantis. Nos certum numerum non praefiniamus, sed quas testatas satis videmus esse, suis locis constituamus: tum de dubiis et incertis nominibus videbimus. Sed ut proficiscamur a certo quodam et bene cognito omnibus loco, quamquam tres potissimum video esse portas, quarum situs certissimus sit, Carmentalem, Esquilinam et Collinam, tamen a Collina potius egrediar et Quirinalem primum, tum Capitolium, Aventinum Caeliumque emensus ab Esquilina et Viminali postremo ad eandem redeam; eam enim partem ultimam in describendis moenibus esse par est, quam novissime absolutam et perfectam esse constat.

De portis versus Campum Martium sitis.

Portam Collinam fuisse scimus in extrema aggeris Serviani parte septemtrionem versus, post thermas Diocletiani, qua fere coniungebatur cum Salaria via Nomentana. Inde in summa collis Quirinalis crepidine murus ad eum locum ductus esse videtur, qua primae sunt inter eum collem et Capitolinum montem fauces. Sed in muri parte colli hortorum opposita, qua augustior vallis, nullus fuit ad urbem aditus; quaeque ad Capitolium usque putantur fuisse quatuor portae, plerasque omnes in Martium campum conversas fuisse statuendum est. Harum duae in his partibus satis testatae sunt: Salutaris et Sanqualis, quarum priorem Collinae proximam fuisse, ipsum nomen indicio est, ab aede Salutis oriundum. Paul. Diac. p. 327 Müll. *Salutaris porta appellata est ab aede Salutis, quae ei proxima fuit.* quocum cf. ipsa Festi verba quamvis mutila. Est

haec nobilissima illa aedes, quam C. Iunius Bubulcus a. U. CCCCLI ex voto dedicaverat, Fabius Pictor sua manu pinxerat (Liv. IX, 43. X, 1. Plin. XXXV, 47). Hinc quod Sachsius [48]) negat ante eum annum portae hoc nomen fuisse, ei non ausim subscribere. Dehortatur enim fragmentum Argeorum apud Varronem L. L. V, 8. p. 58 Sp. *Collis Salutaris quarticeps adversum est pilonarois aedem Salutis.* Quae fragmenta si Iunii aede non sunt antiquiora, illam tamen Argeorum in colles descriptionem antiquiorem esse apparet. Neque vero, quotiescunque aedes votae dicuntur, existimandum est, non fuisse antiquius eiusdem numinis sacellum vel templum. — De loco aedis quamquam nec Livius nec Festus quidquam addiderunt, tamen facilis eius est et probabilis definitio. Commode enim Notitia dignitatum in describendis sextae regionis (Altae Semitae) finibus templi mentionem facit. Quae a septemtrione versus meridiem progrediens primo loco nominat Templum Salutis, quo apparet portam templo vicinam proximam fuisse Collinae. Itaque malim Bunsenio et Urlichsio [49]) adsentiri statuentibus, portam Salutarem ibi fuisse, ubi a Pincii parte ad aedem S. Susannae (ad thermas Diocletiani) est aditus, quam eorum probare rationes, qui in medio montis latere eam fuisse autumant; nisi forte Canina [50]) hic verum vidit, existimans eam fuisse in eo montis accessu, ubi hodie est via quatuor fontium (Via di quattro fontane). Qua de re confidentius dicerem, si hodie Romae essem.

Proxima fuit Sanqualis porta; nomen ductum a sacello Sanci sive Dei Fidii. Paul. Diac. p. 345. *Sanqualis porta appellatur proxima aedi Sanci.* Hanc quoque aedem commemorat fragmentum Argeorum quartum sacrarium indicans: *Collis Mucialis quinticeps apud aedem Dei Fidi;* qui tamen ipse collis ubi fuerit incertum est, nisi quid ex ordine, quo recensentur sacraria, suspicari licet. Itaque ut locum portae definiamus, solus auxilio est locus Livii VIII, 20., ubi pu-

48) *Geschichte d. Stadt Rom.* t. I. p. 220.
49) *Beschr. d. St. Rom.* t. I. p. 626. t. III. B. p. 377.
50) *Indicaz. topograph.* p. 14.

blicata bona Vitruvii narrat: *quodque aeris ex iis redactum est, ex eo aenei orbes facti positi in sacello Sanci versus aedem Quirini.* Igitur quum aedes Quirini probabiliter fuisse dicatur circa aedem S. Andreae [51]) (di Monte Cavallo), contra autem steterit aedes Sanci, credibile est, portam Sanqualem fuisse ea parte, ubi nunc a salientibus Aquae Virginis (Fontana Trevi) ad Quirinalem praecipuus est aditus (Via della Dataria).

Sequuntur nomina minus certa Fontinalis et Ratumenae. Quarum priorem si apud Nibbyum quaeras, videbis longe alia regione ad Caelium montem positam, errore mirifico, sed manifesto. Nimirum apud Livium XXXV, 10. dicuntur aediles damnatis pecuariis ex ea pecunia locasse porticum: *a porta Fontinali ad Martis aram, qua in Campum iter esset.* Igitur quum ante portam Capenam cum maxime uda sint fontibus loca, simul autem ibidem Martis fuerit templum, ille Pseudo-Rufus commentus est campum Fontinarum. Accedebat, quod in via Appia repertus est lapis ita inscriptus: *Dis Manibus A. Apidi Maioris tabellarii a porta Fontinali.* Gruter. DCXXIV, 11. Asservatur in lapidario Vatic. Scilicet qui tabellarius a porta Fontinali fuisset, eum iuxta eandem portam sepultum oportuit! — Enimvero nihil est dubitationis, quin porticus illa a porta in Campum Martium ducta dicatur; ibi enim ara Martis (Liv. XL, 45.), neque unquam Campus non addito nomine nisi de Martio campo dictum est. Meminit autem Fontinalis portae et Festus, sive Paul. Diac. p. 85 Müll. *Fontinalia, fontium sacra. Unde et Romae Fontinalis porta.* Id sacrum notatur in Fastis Maffeor. a. d. III. Id. Octobr. et in Fast. Amitern. praeterea adscriptum est: *Feriae Fonti.* — Fuisse igitur portam Fontinalem versus Campum Martium dubium minime videtur, et haberem dicere quo loco, nisi quarta etiam eadem regione fuisse diceretur porta Ratumena. De ea mirabilia narrantur Plin. N. H. VIII, 42, 65. *Maius augurium apud priscos, plebeiis Circensibus*

51) Plura qui desiderat, adeat Urlichsium, *Beschr. d. St. R.* t. III. B. p. 369.

excusso auriga, ita ut si staret, in Capitolium cucurrisse equos aedemque ter lustrasse, maximum vero eodem pervenisse a Veiis cum palma et corona, effuso Ratumena, qui ibi vicerat, unde postea nomen portae est. Haec, ut sunt obscura, illustrat Plutarch. Poplic. 13. τὸ δὲ νικῆσαν τέθριππον (Veiis) ὁ μὲν ἡνίοχος ἐξήλαυνε τοῦ ἱπποδρόμου σχέδην ἐστεφανωμένος, οἱ δὲ ἵπποι πτοηθέντες ἀπ' οὐδεμιᾶς ἐμφανοῦς προφάσεως, ἀλλὰ κατά τι δαιμόνιον ἢ τύχην ἵεντο παντὶ τάχει πρὸς τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἔχοντες τὸν ἡνίοχον, ὡς οὐδὲν ἦν ἔργον αὐτοῦ κατατείνοντος οὐδὲ παρηγοροῦντος, ἀλλ' ἥρπαστο, δόντα τῇ ῥύμῃ καὶ φερόμενον, ἄχρις οὗ τῷ Καπιτωλίῳ προσμίξαντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἐνταῦθα παρὰ τὴν πύλην, ἣν νῦν Ῥατουμέναν καλοῦσι. Postrema dicta sunt Plutarchi more, referentis fideliter, quae apud antiquiores scriptores legerat; ipsius enim tempore vehementer dubito an eius nominis porta fuerit. Tertius denique citandus est Festus p. 274. *Ratumena porta a nomine eius appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor, Etrusci generis iuvenis Veiis, consternatis equis excussus Romae periit, qui equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium conspectumque fictilium quadrigarum* etc. Cf. Solin. 45, 15. Tantum est, quod scriptores nos docent: de loco portae altum silentium, ut dubitem, an ipsis nota fuerit. Ne id quidem certum est, fueritne hoc proprium atque unicum alicuius portae nomen, an alius nomen secundarium. Certe Müllerus[52]) Carmentalem ita cognominatam putabat; Sachsius aliquam in ipso Capitolio portam fuisse statuit; eo enim pervenisse equos: at auriga antea ad portam excussus fuerat. Ego in quas partes abeam dubito, nisi quum duae iam portae incertae sint, Fontinalis et Ratumena, alterius certe locum probabiliter definiri posse video. Etenim ad radices arcis Capitolinae (in qua nunc aedes S. Mariae) si paullulum processeris per vicum cui hodie nomen Macel de' Corvi, obiicitur oculis notissimum illud C. Publicii Bibuli sepulcrum. Quod ne intra urbem fuisse credamus causae sunt gravissimae[53]); inter

52) Müller, *Etrusk.* II. p. 144.

53) Notissimum est, XII tabularum lege vetitum fuisse, ne quis

quas non ultima, quod haud procul, sed propius paullo Martio Campo (in via, quae dicitur della Pedacchia) item aliud

---

intra Urbem ureretur, neve sepeliretur. Regum tempore factum traditur (Dionys. III, 1.) nec desunt post reges exactos exempla; nam et Valerii et Fabricii in urbe sepulti sunt, quibus Cic. de leg. II, 23. vel ante XII, vel etiam postea virtutis causa id iuris concessum putat. Mansit deinde aliqua toti familiae eiusdem iuris species, secundum Plutarchum Quaest. Rom. 79. καὶ γὰρ ἄλλοις ἀριστεῦσι καὶ στρατηγοῖς ἔδωκαν, οὐκ αὐτοὺς μόνον, ἀλλὰ καί τοὺς ἀπ᾽ αὐτῶν ἐνθάπτεσθαι τῇ ἀγορᾷ, καθάπερ Οὐαλερίῳ καὶ Φαβρικίῳ· καί φασι τούτων ἀπογόνοις ἀποθανοῦσι καὶ κομισθεῖσιν εἰς ἀγορὰν, ὑφίεσθαι δᾷδα καιομένην, εἶτα εὐθὺς αἴρεσθαι χρωμένων ἀνεπιφθόνως τῇ τιμῇ καὶ τὸ ἐξεῖναι μόνον ἐκβεβαιουμένων. Caeterum quod idem refert, licuisse triumphatorum ossa urbi inferre ibique condere, eius rei nullum certe innotuit exemplum. Quid quod potentissimis viris aegre concessum est, ut in Campo Martio sepelirentur; uti Sullae, Liv. Epit. lib. XC. Plutarch. 38. Appian. B. Civ. I, 107. Dio Cass. XXXIX, 64. Caesari concessum quidem esse, ut intra pomoerium monumentum sibi faceret, tradit Dio Cass. XLIV, 7., nihilominus tamen in patrium monumentum cineres illati; ib. cap. 51. ἐς τὸ πατρῷον μνημεῖον, quod Iuliae potius, Caesaris amitae fuisse puto, in Campo sepultae. Suet. Caes. 84. Liv. Epit. lib. CVI. Dio Cassius, XXXIX, 64. Ibidem humata Iulia Pompeii, Plutarch. Pomp. 53. Caes. 23.; Hirtius et Pansa, Liv. Epit. lib. CXIX.; Agrippa, Dio Cass. LIV, 28. At Oppio ne idem contingeret, senatus prohibuit. Id. XLIII, 38. In urbe autem post illos priscae aetatis viros non memini quemquam dici sepultum, praeter virgines Vestales, quippe quae legibus essent solutae. Cf. Servium ad Aen. XI, 206. Item Caesarum cineres intra urbem condi nulla religio aut certe nulla lex vetuit; quod tamen ipsum raro admodum factum videtur, ita tamen ut falli affirmem Hieronymum (t. I. p. 449 Roncalli.), qui *Traianum solum omnium intra urbem sepultum esse* dicit. Quod enim in colle Quirinali exstruxit Domitianus templum gentis Flaviae, id sepulcrale gentis fuisse monumentum apparet e verbis Sueton. Domit. 17. *Cadaver eius populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit: sed reliquias templo Flaviae gentis clam intulit cineribusque Iuliae Titi filiae, quam et ipsa educaverat commiscuit.* Cf. Mart. V, 64, 5. IX, 1, 8. 3, 12. 34. Stat. Silv. IV, 3, 18. Templum autem dici monumentum Flaviorum, ne mireris. Nimirum fanum fuit, ἡρῷον, cuiusmodi multa fiebant sepulcra, quo sanctiora haberentur. Testem habes Ciceronem, qui de monumento, quod sibi parat, scribit ad Attic. XII, 35. nolle se illud ullo nomine, nisi fani, appellari, et apertius epist. 36. *Fanum fieri volo; neque hoc mihi suadu erui potest; sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo* (quoniam plus insumtum fuerat, quam lege concedebatur), *quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν. quod poteram, si in ipsa villa facerem; sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. in agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem.* — Post haec credes scilicet, quod Bunsenio visum est (*Beschr. d. St. R.* I. p. 627. III. A. p. 35. quo posteriore loco minus tamen confidenter rem asserit), Bibulo, homini caetera ignoto, cum honorem a Senatu decretum, ut unus omnium in Urbe monumentum haberet. Satis, puto, honoris habitum homini, quod ad portam locus ei datus est, sepulcro qui esset. Cf. Cic. Phil. IX, 6. *cur de-*

ignoti hominis sepulcrum est. Propterea dudum observatum est [54]), apparere antiquam hic fuisse viam, ad quam ex more monumenta fuerint. Itaque ibi portam fuisse necesse est, quam Fontinalem esse crediderim, si Ratumena ex numero Servianarum portarum tollenda sit: si fuerit Ratumena, Bunsenio adsentiar, hic eam fuisse statuenti, Fontinalem autem inter hanc et Sanqualem ad Quirinalem collem collocanti.

De porta Carmentali.

A sepulcro Bibuli, quod extra portam fuisse diximus, attollebátur murus in alta Capitolini montis, quem totum amplexus haud procul a theatro Marcelli in aequum descendebat. Ibi erat celeberrima illa porta Carmentalis, dicta ab ara Carmentis, quae ante eam antiquissimis temporibus dicata fuerat. Dionys. I, 32. *καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους Καρμέντῃ μὲν ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίσι πύλαις.* Solin. 1, 13. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmenti fuit, ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portae nomen datum est.* Cf. Serv. ad Aen. VIII, 337. Situm autem portae, ut recte animadvertit Bunsenius, egregie demonstrant verba Asconii ad Cic. in toga cand. p. 90 Orell. *Ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio fuit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, utpote quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc Divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium.* Igitur quum constet, forum Olitorium fuisse ad theatrum Marcelli, circa eadem loca necesse est fuerit porta Carmentalis. Accedit praeclarus Livii locus, quo narratur pompa

---

cernit honorem sepulturae, qui maximus haberi potest mortuo? — Maiores quidem nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis etc. Scilicet locum sepulcro Ser. Sulpicio assignandum suadet. Idem saepius factum Pompeiis in ipsis cipporum titulis legimus.

54) Canina, *Indicaz. topogr.* p. 137. Bunsen, *Beschreib. d. St. R.* III. A. p. 35.

virginum bello Punico secundo ad Iunonis Reginae templum ducta XXVII, 37.: *ab aede Apollinis boves feminae albae duae porta Carmentali in urbem ductae.* et paullo post: *A porta Iugario vico in forum venere.* Capitolio enim subiacebat vicus Iugarius. Vulgare est et commemoratu vix dignum, post Fabiorum, qui illa exierant, cladem mali eam ominis notam habuisse: attamen quum non sine errore res tradatur, paucis volentes in viam deducam. Narrat igitur Livius II, 49. totum populum deos precatum esse ut Fabiorum agmen faustum atque felix mitterent: sed *incassum missae preces. Infelici via dextro Iano portae Carmentalis profecti ad Cremeram flumen perveniunt* etc. Hic ne quis erret animadvertendum est, portam Carmentalem duos habuisse fornices, qui Iani dicuntur, ut *perviae transitiones* omnes (Cic. de nat. deor. II. 27.). Laudavere alii Sueton. Aug. 31., ubi dicitur Augustus *Pompeii statuam marmoreo Iano supposuisse*, i. e. fornici, quemadmodum dixit Cic. Verr. II, 63. *Huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat.* Livio autem proxima sunt Ovidii verba, Fast. II, 201.

Carmentis portae dextro est via proxima Iano.
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.

Ita quidem olim legebatur: nunc Merkelius edidit: *dextra est via proxima Iano*, Iani templum intelligens, illud nimirum quod ad Argiletum Numa fecerit, quodque proximum portae fuisse putat. Verum hoc templum, non Numae quidem, sed Duilii, neque proximum portae erat, stabat enim apud forum Olitorium ad theatrum Marcelli, neque cur poeta Iani mentionem hic faciat, ullam video esse causam; nec denique mihi persuadetur recte dici duas portae vias pro duplici fornice. Fabiis potius proficiscentibus dextro portae fornice proximam puto fuisse viam, quare per eum Livio auctore exibant. Itaque post generosi exercitus interitum is, per quem profecti erant, fornix Sceleratus et habitus et appellatus est. Quod in errorem induxit posterioris aevi scriptores, ut crederent, totam portam pro Scelerata fuisse. Fest. p. 285 Müll. *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi et in aede Iani, quae est extra eam senatum haberi: quod ea egressi*

CCCVI Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Iani S. C. factum esset, uti proficiscerentur. Cf. p. 335. *Scelerata porta*, ibique Paul. Diac. Serv. ad Aen. VIII, 337. *Haec ara est iuxta portam, quae primo a Carmente Carmentalis dicta est; postea Scelerata, a Fabiis CCCVI, qui per ipsam in bellum profecti non sunt reversi.* Oros. II, 5. *infamibus usque ad nunc vocabulis testes sunt fluvius, qui perdidit, et porta, quae misit.* Qui quum communiter errarint, tamen omnium maxime falsus est Festus, quem Verrii verba, de Iano portae prodeuntis, ad templum Iani retulisse puto. Neque vero circa totam Carmentalem ullam cuiquam religionem fuisse, testatur ipsa illa virginum pompa, testantur triumphi, omnes, ut mox ostendam, per eam acti; nec denique carere poterat Roma ea porta, qua frequentissima hominum commercio loca, forum Romanum et vicus Iugarius Circo Flaminio iungebantur. Ego potius ne Sceleratam quidem circa portam, dextrum exeuntibus dico fornicem, multam religionem fuisse puto, nisi quis praeter solitum superstitiosus esset. Quod vero in Iani templo S. C. factum memorat Festus, id quam sit inane sensissent, puto, vv. dd., nisi de Numae Iano ad Argiletum, de Argileto ad theatrum Marcelli cogitassent. Nunc nihil est causae, quare illum ad theatrum Ianum Duilio antiquiorem dicamus, aut satis amplum fuisse existimemus, in quo senatus haberi potuerit. Hinc corrigenda videntur quae scripsit Merkelius p. CXLIX.

De ductu muri inter Capitolium et Aventinum.

Porta Carmentali ad radices Capitolii constituta, porro quaerendum, qui inde ad Aventinum muri fuerit ductus. Est autem tota haec quaestio difficultatis plenissima, ut, quoquo te vertas, exitus negari videatur. Duae sunt topographorum contrariae prorsus sententiae: Itali enim a Nardino omnes statuerunt, murum a Capitolio portaque Carmentali recto limite ad fluminis ripam ductum esse. A parte fluminis murum nullum fuisse sed patuisse urbem, quae satis defenderetur rapido Tiberis cursu: ab Aventino demum pariter ad ripam murum directum

fuisse. His moenibus respondisse in altera ripa muros, quos Ianiculo circumdederat Ancus. Contra Bunsenius longe alium murorum invenit tractum; qui a porta Carmentali introrsus flexos et ad Circum Maximum ductos ita putat, ut ipsa Circi pars ea, carceres ubi fuerunt, muri pars fuerit; inde ad angulum septentrionalem Aventini, ubi porta Trigemina; quo tota inter Circum et Tiberim planities ab urbe excluditur. Eius rei duae afferuntur rationes. Primum enim Fabios Carmentali porta egressos esse; quibus, muro inde ad ripam ducto, rursus alia porta in urbem redeundum fuisset, quo pervenirent ad pontem Sublicium ad Aventinum in Tiberi factum, et per eum transirent. Quod quidem totum inane est. Nam Fabiis per pontem Sublicium iter minime fuisse clare apparet eo, quod per dextrum Carmentalis portae Ianum exierunt, quum pons Sublicius a laeva esset. Enimvero non forte, sed certa de causa omnem exercitum per eundem fornicem exiisse credi potest; quare statuendum est duas fuisse a porta vias, alteram laeva petentem, alteram dextra. Hac Fabii sunt profecti, qui ubi fluvium traiecerint, proditum non est: nisi per pontem Sublicium eos transiisse omnium minime verisimile est. Denique id quoque mirari me fateor, quid causae fuerit, cur Carmentali potius, non Trigemina, qua propior erat via, exirent pontem petentes.

Quae autem altera causa, ut ita statueret, Bunsenium compulit, eam puto non graviorem esse priore. Nimirum nusquam quidquam de fori Romani inundatione priscis certe temporibus proditum esse, ideoque certum videri, muro haec loca munita fuisse, qui undas arceret. At enim cur de diluviis taceant scriptores causa in promptu est; siquidem (quod ignotum Bunsenio minime fuit) a regum temporibus vasta lapidum mole Tiberis ripa exstructa fuit, quae exundantes aquas coerceret. Hanc ego molem tutius urbi munimentum fuisse puto, quam murum, in quo quum portam ipse Bunsenius constituat Flumentanam, apparet, contemtis moenibus tamen irrupturas fuisse per portam undas. Quid quod ne sic quidem satis tuta urbs fuit; nam quod nunquam urbem inundatam esse dicit, id quidem falsissimum est. Liv. XXXV, 9. *Aquae in-*

gentes eo anno fuerunt, et Tiberis loca plana urbis inundavit. An etiam extra portam urbs fuit? Hinc corrigendus ex parte et Nibbyus, *Mura di Roma.* p. 129 sq. — Sed fuerit murus: id denique admirabile est, sub ipsas Palatii radices ad Circum Maximum ductum esse. Hic iam non de eo quaeritur, quod verisimile non sit, sed quod fieri nullo modo potuerit. Nam ut mittam et condonem quidquid in ea re est incredibilium, atque unius teli iactu infirmas adversarii copias reprimam, unum considerandum iterum propono locum Livii XXVII, 37. *ab aede Apollinis boves feminae albae duae porta Carmentali in urbem ductae. — A porta Iugario vico in forum venere. in foro pompa constitit et per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. inde vico Tusco Velabroque per Boarium forum in clivum Publicium atque aedem Iunonis Reginae perrectum.* Id velim mihi expediat vir egregius, qui fieri potuerit, ut ducto ad ipsos carceres muro a foro Romano Tusco vico et Velabro per forum Boarium ad clivum Publicium in Aventino perventum sit; nisi forte transversam per Circum Maximum pompam actam aut per Flumentanam portam exiisse rursus, et per Trigeminam iterum intrasse urbem credere libeat. — Praeterea forum Boarium queri intelligo, e suis locis in angustissimos fines compulsum, iratosque deos quicunque inter Circum et Tiberim templa habuerunt, iam vero pomoerii expertes extramuranos se factos indignantur. Quid igitur compulit Bunsenium, ut neglectis omnibus tam perverse statueret? Nempe de porta triumphali aeque admirabiliter existimaverat, quo facto fatali quasi necessitate ad Circum Maximum trahebatur; quam eius opinionem vanissimam esse mox videbimus.

Repudiatis igitur istis moenibus, non a Servio factis, sed recentissime fictis et excogitatis, ad illam redeo quaestionem, Italisne credendum sit et adsentiendum; an a Capitolio ad Aventinum secundum Tiberim murus ductus fuerit? Video autem primum auxilio esse Italis Dionys. IX, 68. *καὶ τὰ μὲν ἐπὶ λόφοις κείμενα καὶ πέτραις ἀποτόμοις ὑπ᾽ αὐτῆς ὠχυρωμένα τῆς φύσεως καὶ ὀλίγης δεόμενα φυλακῆς· τὰ δὲ*

ὑπὸ τοῦ Τιβέρεως τετειχισμένα ποταμοῦ. οὗ τὸ μὲν εὖρός ἐστι τεττάρων πλέθρων μάλιστα· τὸ δὲ βάθος οἷόν τε ναυσὶ πλεῖσθαι μεγάλαις. τὸ δὲ ῥεῦμα ὥσπερ τι καὶ ἄλλο ὀξὺ καὶ δίνας ἐργαζόμενον μεγάλας· ὃν οὐκ ἔνεστι πεζοῖς διελθεῖν εἰ μὴ κατὰ γέφυραν· ἦν δ' ἐν τῷ τότε χρόνῳ μία ξυλόφρακτος, ἣν ἔλυον ἐν τοῖς πολέμοις. Quibus videtur sane innuere scriptor, ipsum Tiberim pro muro, neque aliis operibus urbem ibi munitam fuisse. Quamquam nolim huic argumento nimium tribui, memor, Aurelianum, sive is Honorius fuit, solo flumine non esse confisum, sed secundum ripam toto paene Campi Martii spatio muros licet minoris operis fecisse. Quod testatur ante alios Procop. Goth. II, 9. καὶ ἦν γάρ τις αὐτῷ ἐπίμαχος μάλιστα μοῖρα, ᾗ τοῦ Τιβέριδος ἡ ὄχθη ἐστὶν, ἐπεὶ ταύτῃ οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι θαρσοῦντες τοῦ ὕδατος τῷ ὀχυρώματι τὸ τεῖχος ἀπημελημένοι ἐδείμαντο. Quare non negabis, Dionysii quoque verba in eam partem accipi posse, ut praeter muros etiam Tiberim munimento urbi fuisse dicat. — Accedit autem notissima illa Romanorum e Ianiculo Porsena insistente fuga, quum pontem Sublicium Horatius Cocles sua virtute tuitus esse narratur. Ibi forte miraberis, unicam Romanos spem in ponte solvendo posuisse, nec murorum portarumve ullam fieri mentionem. Ita enim Livius II, 10. *Quum hostes adessent pro se quisque in urbem ex agris demigrant: urbem ipsam sepiunt praesidiis. alia muris, alia Tiberi obiecto videbantur tuta. Pons Sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles — qui positus forte in statione pontis, quum captum repentino impetu Ianiculum atque inde citatos decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens obtestansque deum et hominum fidem testabatur: nequidquam deserto praesidio eos fugere. Si transitum pontem a tergo reliquissent, iam plus hostium in Palatio Capitolioque quam in Ianiculo fore.* Quocum compara neglectum a Nibbyo, nec Bunsenio cognitum locum Dionysii, qui planissime et disertissime nullos ibi fuisse muros ait, V, 23. φευγόντων δ' εἰς τὴν πόλιν ἁπάν-

των καὶ διὰ μιᾶς γεφύρας βιαζομένων ἀθρόων, ὁρμὴ γίνεται τῶν πολεμίων ἐπ᾽ αὐτοὺς μεγάλη· ὀλίγου τε πάλιν (?) ἐδέησεν ἡ πόλις ἁλῶναι κατὰ κράτος, ἀτείχιστος οὖσα ἐκ τῶν παρὰ τὸν ποταμὸν μερῶν. Cf. etiam Plutarch. Popl. 16. Neque praetereunda sunt, quae de incendio in his locis coorto traduntur a Livio XXIV, 47. *solo aequata omnia inter Salinas* (ad portam Trigeminam) *ac portam Carmentalem cum Aequimelio Iugarioque vico. in templis Fortunae ac Matris Matutae et Spei extra portam late vagatus ignis sacra profanaque multa absumsit.* et XXV, 7. ubi triumviri creati dicuntur *reficiendis aedibus Fortunae et Matris Matutae intra portam Carmentalem, sed et Spei extra portam.* ubi vides Spei demum (apud forum Olitorium) templum extra portam dici. Denique haec unica ratio est explicandi versus Ovidii, Fast. VI, 471.

Pontibus et magno iuncta est celeberrima circo
Area, quae posito de bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutae sacra parenti
Sceptriferas Servi templa dedisse manus.

Qui, obsecro, forum Boarium dici poterat pontibus esse iunctum, si muro ab iis diremtum, si denique, ut Bunsenius voluit, in exiguum illud inter Velabrum et Circum spatium conclusum fuit? cf. not. 56 in fine. Qui potuit deinde ineptius definiri locus templorum Fortunae ac Matris Matutae, quam a Livio factum videmus, intra portam Carmentalem ea fuisse tradente. Immo potius statuendum, forum Boarium magnam fuisse aream, quae ab arcu argentariorum et Iano in Tiberim vergeret.

Iamne certum videtur, nulla urbis fuisse a Tiberis parte moenia? Immo certissimum; sed tamen scrupulum mihi non levem iniecisse fateor, quae de C. Gracchi ex Aventino fuga apud scriptores legi. Ex quibus Plutarchus cap. 17. ita scribit: Φεύγοντι γοῦν τῷ Γαΐῳ τῶν ἐχθρῶν ἐπιφερομένων καὶ καταλαμβανόντων περὶ τὴν ξυλίνην γέφυραν, οἱ μὲν δύο φίλοι προχωρεῖν αὐτὸν κελεύσαντες αὐτοὶ τοὺς διώκοντας ὑπέστησαν, καὶ μαχόμενοι πρὸ τῆς γεφύρας οὐδένα παρῆκαν, ἕως ἀπέθανον. Praetereo Appianum, B. Civ. I, 26. summatim rem narrantem, et propero ad eum, qui

brevi oratione longe plurima de Gracchi fuga tradit, Aurel. Vict. de vir. ill. 65. *armata familia Aventinum occupavit. Ubi ab Opimio victus, dum a templo Lunae desilit, talum intorsit et Pomponio amico apud portam Trigeminam, P. Laetorio in ponte Sublicio persequentibus resistente in lucum Furinae pervenit.* Adde Valer. Max. IV, 7, 2. *Pomponius — concitatum sequentium agmen in porta Trigemina aliquamdiu acerrima pugna inhibuit —; Laetorius autem in ponte Sublicio constitit et eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui sepsit.* Qui quidem in caeteris consentiunt, nisi quod Victor apud portam, Valerius in porta Laetorium restitisse narrat. Ergo ut intelligatur, quod fuerit Gracchi iter, neve extra portam fugisse eum existimes, cavendum est diligenter, ne praeiudicatae quidquam opinionis afferas; ne pontem Sublicium credas fuisse extra portam, quae Bunsenii est sententia; neve eum esse tibi persuaderi sinas, quem omnes putant, cuius vestigia sub Aventino, haud procul ab aede S. Sabinae cerni posse feruntur. Rem potius ipsam consideremus et examinatis scriptorum verbis videamus an illa vestigia pontis Sublicii habenda sint. Dicitur igitur Gracchus, relicto Dianae templo, quum instarent hostes, a templo Lunae desiluisse. Hanc aedem Bunsenius incredibili errore cum celeberrimo Dianae templo confundens in ea Aventini parte, quae Tiberim versus est, fuisse censet: ibi Gracchum desiluisse et pontem Sublicium petiisse, scilicet illum, qui subiacet monti; Pomponium autem in porta Trigemina constitisse, ne per eam transiret persequentium agmen [55]). Quasi vero Lunae templum soli commemoretur Victori, nec testatum sit gravissima Livii et Ovidii auctoritate nec denique in Fastis Praenestinis scriptum sit, Prid. Kal. April. Lunae in Aventino, quo spectant illa Ovidii Fast. III, 884. *Aventino Luna colenda iugo!* Nam si Victorem credibile est commutare potuisse Dianae ac Lunae et numina et nomina, ab illorum certe aetate is error alienissimus est. Simul autem a Livio disces, Lunae templum cur in isto montis latere fuisse dicatur, nihil esse cau-

55) L. l. Tom. III. A. p. 412.

sae, qui lib. XL, 2. atrocem coortam cum vento tempestatem narrans: *signa aenea*, inquit, *in Capitolio deiecit: forem ex aede Lunae, quae in Aventino est, raptam tulit et in posticis partibus Cereris templi adfixit* etc. Iam quum notissimum sit Cereris templum apud Circum maximum fuisse, multo credibilius est Lunam templum habuisse in ea parte, quae imminet Circo et foro Boario. cf. Notitia. Reg. XI. Hic ubi desiluit Gracchus intra muros, pontem Sublicium petiit, non illum, quem contra Livii et Dionysii auctoritatem extra muros e regione aedis S. Sabinae fuisse volunt, sed quem necesse est inter portam Trigeminam et Carmentalem fuisse [56]). Quae

---

56) De ponte Sublicio cunctos videas conspirasse topographos, affirmantes magno consensu, fuisse eum sub Aventino, qua hodie conspici dicuntur pilarum reliquiae. Praeterea eundem et Aemilium dictum et Lepidi pontem, quin etiam Lapideum apud eosdem a Marliano inde invenies. Verum si quaeras, unde compertam rem habeant, nihil rationum videas afferri, nisi quod ita esse apud animum suum constituerunt. Ego vero, quum propter situm portae Trigeminae dubia res videretur, collatis quae de pontibus Romae disperse scriptores produnt, eo perveni, ut neque istic fuisse Sublicium, neque unquam Aemilium eum vocatum esse mihi persuaderem. Ac primum iam neminem fore arbitror, quin miretur illum pontem, qui Romam cum Ianiculo solus coniungeret, non vicinum Palatio et Capitolio (ea enim tunc potissimum loca habitabantur) institutum esse, sed longe sub Aventino. Non bene concordant cum isto pontis loco verba Livii I, 33. *id* (Ianiculum) *non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio tum primum in Tiberi facto coniungi urbi placuit.* Poterant sane commoditatem itineris spectantes aptiorem aedificando ponti locum eligere. Verum haec nunc mittam, atque ita potius agam, ut primum quaeram, quousque pons ligneus fuisse videatur, tum an Aemilius unquam dictus sit. Quod si factum non esse ostendero, sed Aemilium pontem sub Aventino fuisse comprobavero, assequar, ut alio loco Sublicium fuisse mihi concedatur. Audiamus igitur primum scriptores eos, qui non nomine tantum utuntur (quod manere poterat ponti lapide quoque facto), sed sua aetate vere Sublicium, nimirum ligneum fuisse testantur. Princeps horum est Varro L. L. V, 15. p. 87 Sp. *Pontifices — ego a ponte arbitror; nam ab his sublicius est factus primum, ut restitutus saepe. cum ideo sacra et uls et cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Tum Dionys. III, 45. *καὶ τὴν ξυλίνην γέφυραν, ἣν ἄνευ χαλκοῦ καὶ σιδήρου θέμις ὑπ᾽ αὐτῶν διακρατεῖσθαι τῶν ξύλων, ἐκεῖνος* (Ancus) *ἐπιθεῖναι τῷ Τιβέρει λέγεται, ἣν ἄχρι τοῦ παρόντος διαφυλάττουσιν, ἱερὰν εἶναι νομίζοντες. εἰ δέ τι πονήσειεν αὐτῆς μέρος, οἱ ἱεροφάνται θεραπεύουσι, θυσίας τινὰς ἐπιτελοῦντες ἅμα τῇ κατασκευῇ πατρίους.* Accedit Ovid. Fast. V, 622.

> *Tunc quoque priscorum virgo simulacra virorum*
> *Mittere roboreo scirpea ponte solet.*

Quae quum pertineant ad Augusti aetatem omnia, bene factum, quod Plinius quoque aliquanto post rei mentionem fecit XXXVI, 15, 23.

quum plana sint et aperta omnia, fortasse tamen quaeres, quorsum spectet illa Pomponii ad portam Trigeminam pugna, nisi

---

(ubi de contignatione sine ferreis clavis): *Quod item Romae in ponte Sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendente aegre revulsus est.* Praeterea commemoratur a Tacito Hist. I, 86. et Dione Cass. XXXVII, 58. L, 8., qui plus semel eum corruisse narrant; a Iul. Capit. Anton. 8. qui refectum ab hoc imperatore tradit; denique quem postremum mihi locum servavi, Senec. de vita beata. 25. *In Sublicium pontem me transfer et inter egentes me abige: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* Fateor, me paullisper addubitasse, an eodem referam Ergasili lusum apud Plautum, Capt. I, 1, 22. *ire extra portam Trigeminam ad saccum licet;* quod si faciendum foret, haberemus iam pontem Sublicium extra muros. Primum autem Plauti verba nimium sunt obscura, fortasse etiam vitiosa, neque satisfacit mihi Lambini illa toties repetita explicatio; ad saccum ire idem esse quod mendicare; deinde quamquam pontes et clivos praecipue obsessos fuisse a mendicis stipem rogantibus frequenti Iuvenalis et Martialis mentione notum est et vulgare, tamen idem ad portas quoque factum credibile est, quo spectare videntur versus Trinummi, II, 4, 20.

Pol, opinor, affinis noster aedes vendidit:
Pater quom peregre veniet, in porta est locus.

quamquam ibi quoque sunt, qui emendent: *in ponte.* Utut est: non licet certe propter illa dubiae sententiae verba derogare fidem Livio et Dionysio, pontem Sublicium intra muros fuisse haud obscure significantibus. Cf. etiam B. Appian. Civ. I, 58. 68.

Vidimus igitur, ad Plinii aetatem certe pontem fuisse ligneum, nomen autem Sublicii ad Antonini Pii principatum mansisse. Nunc videamus, de Aemilio ponte quid apud scriptores legatur. Ac primus mihi citandus est Plutarchus, paullo obscurius de utroque locutus Num. 9., ubi varias de nomine pontificum profert sententias, inter quas et illa Varronis, a ponte faciundo dictos. Itaque dicit: *Εἶναι μέντοι καὶ τὴν τήρησιν αὐτὴν καὶ τὴν ἐπισκευὴν, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν ἀκινήτων καὶ πατρίων ἱερῶν, προσήκουσαν τοῖς ἱερεῦσιν. Οὐ γὰρ θεμιτὸν, ἀλλ' ἐπάρατον ἡγεῖσθαι Ῥωμαίους τὴν κατάλυσιν τῆς ξυλίνης γεφύρας. Λέγεται δὲ καὶ τό πάμπαν ἄνευ σιδήρου κατὰ δή τι λόγιον συγγεγομφῶσθαι διὰ τῶν ξύλων. Ἡ δὲ λιθίνη πολλοῖς ὕστερον ἐξειργάσθη χρόνοις ὑπ' Αἰμιλίου ταμιεύοντος. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ξυλίνην τῶν Νομᾶ χρόνων ἀπολείπεσθαι λέγουσιν, ὑπὸ Μαρκίου τοῦ Νομᾶ θυγατριδοῦ βασιλεύοντος ἀποτελεσθεῖσαν.* In his primum animadvertendum est, pro *ταμιεύοντος* scribendum esse *τιμητεύοντος*; neque enim a quaestore unquam pontem factum esse credes, sed a censore, ut recte observavit Nibbyus quoque ad *Nardin. Rom. ant.* t. III. p. 355. coniiciens ipse *τιμῶντος*. Ad rem autem quod attinet, ita est comparatus Plutarchi locus, ut facile quis in errorem possit adduci, quasi Sublicium pontem lapide postea factum ab Aemilio censore ejusque nomine appellatum dicat. Verum si diligentius verba expenderis, fateberis, totum hoc abhorrere a scriptoris mente. Apparet enim, pontem etiamtum ligneum fuisse, quod nescio an postulet etiam infinitivus perfecti, *συγγεγομφῶσθαι*; tum vero, quum ipse superstitionem Romanorum, sive religionem dicamus, circa pontem istum admiretur, quem solvere nefas sit, qui poterat idem narrare eundem pontem, quem ligneum semper esse oporteret, lapideum factum esse. Et quum

extra urbem fugerit Gracchus perque portam ruerit insequentium turba. Hoc quid sit non tibi erit obscurum, si ad situm

pontificum esset reficiendi pontis cura, quo iure tandem a censore, licet Pontifice maximo, non refici, sed lapide exstrui potuit? Et a quo denique censore? Ad Plinii aetatem pontem ligneum durasse antea vidimus; quod si minus certum esset, tamen Dionysii et Ovidii tempore ligneum fuisse certo scimus. Constat autem ab a. U. DCCXXXII nullos fuisse censores, addito primum Augusto, deinde omnibus imperatoribus censurae honore; at Dionysius pariter atque Ovidius multo post illam Planci et Lepidi censuram scripserunt. Praeterea pontis Aemilii nomen est etiam in Fastis tam Capranicorum, quam Amiterninis: a. d. XVI Kal. Sept. PORTUNO AD PONTEM AEMILIUM; qui Fasti toti pertinent ad Augusti aetatem; ut clare appareat eodem tempore et Sublicium et Aemilium pontem diversis locis fuisse. Nimirum Aemilium eum esse suspicor, cuius pilas nobili illa censura M. Fulvii Nobilioris et M. Aemilii Lepidi factas narrat Livius XL, 51., qui quamquam Fulvii opus esse dicit, tamen fuisse quandam in hac censura operum communionem indicio est basilica Fulvia, ab eodem censore locata, sed ab Aemiliis semper refecta et Aemilia appellata. Ergo ad Plutarchum ut redeam, is pontem Sublicium, ligneum dico, sua aetate durare non negat, sed et alium lapideum ab Aemilio censore factum esse dicit. Quodsi forte mirum tibi videatur, quod unum lapideum pontem esse narrat, cum ipsius aetate plures fuisse credibile sit, id velim animum advertas, totum hunc locum a Plutarcho ex antiquo scriptore Romano in Numae vitam translatum esse. — Iam ubi fuerit ille Aemilius pons, minime obscurum est: nimirum eo ipso in loco, ubi hodie Sublicium fuisse falso opinantur. Quo enim loco Portuno sacra potius facta credamus quam apud portum? at eidem ad pontem Aemilium fieri dicuntur in Kalendariis. Romae autem emporium ante ipsam portam Trigeminam fuit (ubi vel hodie portus, Porto di Ripa grande, contra vetus emporium), atque in eodem loco Fulvium pontem coepisse facere, ex Livii verbis satis perspicuum est. Ita enim scribit: *M. Fulvius plura et maioris locavit usus. Portum et pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus et L. Mummius censores locaverunt imponendos.* in quo etiam illud memorabile est, pontem perfectum esse a Scipione Aemiliano, L. Aemilii Paulli filio. His disputatis, ut puto, probabiliter, restat, ut duorum expendam verba scriptorum, a quibus Lepidi pontem et Lapideum nominari videmus. Sunt autem ambo novissimae aetatis, alter Serv. ad Aen. VIII, 646. (de Porsena): *cum per Sublicium pontem, hoc est ligneum, qui modo lapideus dicitur, transire conaretur.*; unde id saltem discimus, ineunte saeculo quinto pontem Sublicium, ligneum dico, nullum, sed eius loco lapideum exstructum fuisse. Alter locus est petitus ex incerti auctoris Cosmographia, quam Aethici nomine alii, alii Iulii Oratoris inscribunt. Quicunque fuerit ille, id certissimum est, eum Servio multo esse inferiorem, quippe qui portam Aureliam et Ostiensem S. Petri et S. Pauli nominibus, Romamque non solum aeternam, ut solent fere istius aevi scriptores, sed sacram urbem appellet. Quod si re vera is est, quem Cassiodor. Divin. lectt. 25. commendat, sexti eum saeculi fuisse oportet: videtur enim tunc primum editus esse libellus. Is igitur Europae fluvios recensens (in Append. ad Gronovii Pompon. Melam. a. 1722; nam in posterioribus editionibus haec omissa sunt, p. 716.) ita scribit: *Fluviorum rex pulcher Tiberis, cui primatum aeternae urbis Romae singularis tribuit magnitudo, nascitur ex monte Apennino; currit millia CCCC.*

locorum animum adverteris. Nam in Aventinum montem princeps aditus per clivum erat Publicium, in quo imo portam fuisse Trigeminam planissime scribit Frontin. de aquaed. 5. *Incipit distribui Appia imo Publicio clivo ad portam Trigeminam.* Itaque ex alto montis quum Gracchus desiluisset, nihil accommodatius rei fieri potuit, quam ut per clivum Opimii manus insequeretur, in quo imo apud portam Trigeminam proruenti agmini obstitit Pomponius. Propterea verius, puto, quam Valerius Maximus, narrans in porta eum stetisse, apud portam pugnatum esse scribit Aurelius Victor, fontibus usus, ut saepe, longe melioribus, quam pro aetate viri exspectaveris. — Hac sunt, quibus firmiter mihi persuasi rationibus, nihil secundum Tiberim muri fuisse, pontis autem Sublicii non ea esse vestigia, quae hodie monstrantur.

De porta Triumphali.

Intra brevissimum illud a Capitolii radicibus ad Tiberis ripam spatium praeter Carmentalem alias duas fuisse portas cum Nardino Nibbyus et Canina opinati sunt; quarum propiorem Carmentali Triumphalem fuisse, alteram fluvio proximam Flumentanam. Quod quum iure absurdum visum esset Bunse-

---

per urbem sacram geminatur et facit insulam regioni XIV, ubi duo pontes appellantur (Fabricius et Gratianus). *Post iterum ubi unus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abusive a plebe Lapideus dicitur, iuxta forum Boarium, quem Caeum dicunt, transiens adunatur* etc. Huic igitur pons Lapideus is est, qui proximus est insulae Tiberinae, nimirum is ipse, qui dimidia paene parte destructus hodie Ponte rotto vocatur. Eum rectius Lepidi pontem appellari ait, quae vereor ne falsae eruditionis coniectura potius, quam certae scientiae sit affirmatio. Utut est, hoc saltem caveas, ne eundem putes esse quem Aemilium, qui nunquam Lepidi dictus est; neque vero Plutarchus unquam Lepidum Aemilium appellavit. Indicio autem ipsum est nomen, successisse hunc pontem Sublicio; nam quum tot illo tempore essent pontes lapidei, nihil certe causae erat, cur unus ante alios Lapideus diceretur, nisi lignei loco factus fuisset. Nec tamen in ipso pontis rupti loco Sublicium fuisse putaverim, sed paullo inferius versus Aventinum. — Est autem hic Cosmographi locus magno simul argumento, forum Boarium ad ipsam Tiberis ripam pertinuisse; quo constituto rectius fortasse statui poterit de templis ad ripam hodieque conspicuis, quae Fortunae Virilis Vestaeque ineptis nominibus plerumque appellata sunt.

nio, miram excogitavit suam de porta Triumphali sententiam, multo maioris iam ipse, quam illi, erroris reus; qui cuiusmodi sit, iam videamus. — Rara est apud scriptores Triumphalis portae commemoratio, neque ante Augusti aetatem a quoquam, praeterquam a Cicerone semel nominatam inveni. Is orationis in Pis. cap. 23. *cum ego*, inquit, *Caelimontana porta introisse dixissem, sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promtissimus lacessivit: quasi vero id aut ego scire debuerim, ut vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali, quae porta semper proconsulibus ante te patuit.* Praeter hunc locum ter eam commemorari memini: Tacit. Ann. I, 8. Sueton. Aug. 100. Dio Cass. LVI, 42., qui loci pertinent omnes ad illud senatus decretum: Augusti funus porta Triumphali ducendum esse. De Ciceronis autem verbis postea dicam; nunc ad Bunsenii opinionem veniam primum mihi refutandam. De qua non praeiudicium, sed plane iudicium iam factum intelligo, postquam reiectus est ille de muro ad Circum ducto error. Is enim praecipuus erroris fons fuit, quod ipsam Circi Maximi portam Triumphalem fuisse sibi persuaserat. Non potest igitur hic omitti iterata de Circo et diligentior quaestio, praesertim quum de XII, quae vocabantur, portis simul dicendum sit, cum eodem Circo a Bunsenio coniunctis [57]). Causas autem, cur ita censeat, affert has: primum Varronis utitur auctoritate, qui L. L. V, 32. p. 153. ita scribit: *In circo primum unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres, Naevius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant antequam magistratus signum misit. Quod a muri parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt, scripsit poeta:*

— dictator ubi currum insidit,
Pervehitur usque ad oppidum [58]).

Ita sane nunc editum est, quod codices omnes ignorant. Nam in optimis quibusque, in Florent., Havn., item in Lips. aliisque

57) *Beschr. d. St. R.* I. p. 630 sqq. II. A. p. 439. III. A. p. 626.

58) Vid. Herm. Elementa metr. p. 637. Alii aliter; male Koenius Ennio versum vindicavit.

est: *a muris partem*, unde verissime Fulvius Ursinus coniecit: *a Murcis parte;* Salmas. *a Murciae parte*. Quod confirmatur egregie sequentibus Varronis verbis: *Intumus circus Ad Murcim vocatum, ut Procilius aiebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos: alii dicunt a murteto declinatum, quod ibi fuerit; quoius vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murteae Veneris*. cf. Liv. I, 33. *quibus* (Latinis), *ut iungeretur Palatio Aventinum, ad Murciae datae sedes*. Hoc Murciae sive Murcis sacellum a fori Boarii parte fuisse apparet; nam inter Palatium et Aventinum iam tum Circus expleverat vallem. Nihil igitur in Circo muri, nisi quod in speciem muri turribus pinnisque exstructis carceribus oppidum dicebatur. cf. Paul. Diac. p. 184 Müll. scr. *ad muri speciem*.

Alterum argumentum petitum est ex Suetonio et Dione Cassio, de reditu Neronis post certamen Olympicum scribentibus; quorum prior ita rem narrat Ner. 25.: *Reversus e Graecia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introïit, disiecta parte muri, ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat et in veste purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, praeeunte pompa caeterarum cum titulis, ubi et quos, quo cantionum quove fabularum argumento vicisset: sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, Augustianos militesque se triumphi eius clamitantibus. Dehinc diruto Circi Maximi arcu, per Velabrum Forumque Palatium et Apollinem petiït.* Apud Dionem autem haec leguntur LXIII, 20.: Ἐπεὶ δ' οὖν ἐς τὴν Ῥώμην ἐσήλασε, τοῦ τε τείχους τι καθηρέθη καὶ τῶν πυλῶν περιεῤῥάγη — καὶ ἐσεφοίτησαν πρῶτοι μὲν οἱ τοὺς στεφάνους, οὓς ἀνῄρουν (?), κομίζοντες, καὶ μετ' αὐτοὺς ἕτεροι κ. τ. λ. — ἔπειτα αὐτὸς ἐφ' ἅρματος ἐπινικίου — καὶ οὕτω διά τε τοῦ ἱπποδρόμου καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς — ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὸ Παλάτιον. Ex his Bunsenius non sine aliqua veri specie, quum alter Circi Maximi arcum, alter muri portaeque partem dirutam dicat, conclusit eam portam

Circi fuisse Triumphalemque. Verum si diligentius utriusque verba expendas, intelliges in eo concordare scriptores, introeunti in Urbem Neroni muri partem disiectam esse, siquidem Suetonius quoque primum id Neapoli factum, tum Antii, in Albano, Romaeque postremo repetitum esse, narrat. Neque vero per Circum intrasse, sed e Circo, diruto arcu, in Velabrum exiisse dicit, quod clarissime apparet inde, quod tum demum, postquam pompam, ut processerit, enarravit, addit: *Dehinc diruto Circi maximi arcu per Velabrum Forumque Palatium petiit.* Adspice autem, quam congrua his sit Dionis narratio, qui diruta porta cum introisse in Urbem, vectumque curru triumphali, praecedentibus victoriarum titulis, postremo per Circum et Forum in Capitolium Palatiumque adscendisse dicit.

Sed ut clarius etiam elucеat, quam vana sit ista de porta Triumphali opinio, examinanda simul sunt, quae idem commentus est de XII portis, quarum ter apud veteres mentio fit: primum Plin. N. H. III, 5, 9. ubi de ambitu Urbis portarumque numero verba facit: *quae sunt hodie numero triginta septem, ita ut duodecim semel numerentur.* Hoc loci cuiusdam fuisse nomen discimus e prodigio, quod ibi factum refert Iul. Obseq. 130. *Mula Romae ad duodecim portas peperit.* Denique nominantur a Notitia in regione XI, proxime portam Trigeminam. — Igitur Bunsenius ingeniose sane rem excogitavit pulcherrimam: XII portas esse carcerum aditus, inter quas media fuerit porta Triumphalis. Totidem enim in Circo fuisse carceres et duodenarum quadrigarum singulos interdum fuisse missus; quod comprobat reliquiis circi Maxentii (vulgo Caracallae, ante portam Appiam, hodie Porta di S. Sebastiano), cuius duodecim carceres fuisse affirmat Bianconi, *Descriz. de' Circhi.* p. 35. Magnificentissimum vero spectaculum, sed quod Romani ignorarunt, nostra demum aetas non vidit, sed animo admirata est. Nego enim, ante Caesarum tempora unquam plures, quam quaternos currus certasse, dubitans etiam, quartumne reipublicae tempore, an tum demum additum credam. Nego unquam plures cucurrisse quam senos, quod ipsum per breve tempus solemne fuisse, caeterum rarissime factum videtur. — Quaternos currus certasse, argumento est

ipse factionum numerus; neque enim credibile est, eodem missu plures eiusdem factionis simul certasse, quo ipsa victoria dubia futura fuisset, quia poterat unus prasinus ad palmam venire, secundo et tertio ad carceres morantibus, aut extremis extremorum sequentibus. Constat autem, certasse factiones. Verum ipsae istae factiones reipublicae tempore non fuisse, sed primis demum Caesaribus distinctae esse videntur; neque enim ulla earum, quantum scio, apud antiquiores scriptores, aut ubi priscorum temporum res scribuntur, mentio; a Caio inde Caesare frequentissima. Nam quod est apud Paul. Diac. p. 68 Müll. *Factio et factiosus initio honesta vocabula erant; unde adhuc factiones histrionum et quadrigariorum dicuntur.* id utrum Verrii sit, an ipsius Festi, nemo dicat. Unus tantum scriptor fuisse antiquitus quoque prasinos caeterosque ait, sed is qui tres tantum illa tempora nosse factiones, quartam multo post additam, tres tantum currus simul missos affirmet. Est is Ioannes Lydus, de mens. IV, 25 Bekk. *τριῶν ἁρμάτων, καὶ οὐ τεττάρων ἁμιλλωμένων ἐπὶ τῆς ἱπποδρομίας, οἱ μὲν ῥουσσάτοι οἱονεὶ ἐρυθροὶ, οἱ δὲ ἀλβάτοι οἱονεὶ λευκοὶ, οἱ δὲ βίριδες οἱονεὶ ἀνθηροί· πρασίνους δὲ αὐτοὺς νῦν προσαγορεύουσι. καὶ οἱ μὲν ῥουσσάτοι ἠξίουν τοῦ Ἄρεος εἶναι, οἱ δὲ λευκοὶ τοῦ Διὸς, οἱ δὲ ἀνθηροὶ τῆς Ἀφροδίτης. ὕστερον δὲ καὶ τὸ βένετον κ. τ λ.* et paullo post: *διὰ δὲ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐποίησαν τέσσαρας τοὺς ἀγῶνας· τὸ ἀνθηρὸν ἀντὶ πυρὸς, εἰς τὴν τῆς Ῥώμης τιμὴν (Φλῶραν δὲ αὐτὴν ὠνόμαζον, ὥσπερ ἡμεῖς Ἄνθουσαν), δεύτερον τὸ λευκὸν διὰ τὸν ἀέρα, τρίτην τάξιν Ἀρεΐ, καὶ τετάρτην, ἄρτι προσληφθεῖσαν, Κρόνῳ ἢ Ποσειδῶνι.* Qui quamquam sui saeculi more in rebus haud dubie fortuitis reconditae sapientiae signa agnoscit, id certe non suo ingenio duce invenit, quod olim ternos tantum currus certasse, quartum postea additum dicit. Quem quum nuper accessisse ait, non cogitandum est de ipsius, sed de eius scriptoris tempore, ex quo rem ipse compertam habuit. Vera autem ut habeam, quae scribit, maxime suadet memorabilis locus Ciceronis Brut. 47. *Neque enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix e carceribus exierit,*

cum palmam iam primus acceperit. quibus uti solis non magnopere confiderem, ita ad confirmanda, quae Lydus tradidit, sunt egregia. Praeterea nihil potest convenientius esse priscae simplicitati ludorum circensium testatae a Livio XLIV, 9. — Quo tamen tempore auctus sit curruum numerus, proditum non est, nisi forte suspicari licet quaternos certare coepisse Tiberio Principe. Suspicionem mihi iniiciunt verba Suetonii, Tib. 26. *Ex plurimis maximisque honoribus praeter paucos et modicos non recepit. Natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus vix unius bigae adiectione honorari passus est.* Sed nihil ausim affirmare, qui in tanta rei obscuritate errare me posse sciam; praesertim quum ipsum iam C. Iul. Caesarem producto ab utraque parte spatio Circum amplificasse narret Suet. Caes. 39., nisi id solius euripi causa factum est: id unum certissimum dixerim, ne post Tiberium quidem usque ad Domitianum quaternas numerum quadrigarum excessisse. Hic primus numerum auxit et curruum et factionum, ut vel inde cognoscere possis, eundem utrorumque fuisse. Sueton. Dom. 7. *Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit.* Cf. Dio Cass. LXVII, 4. Quae tamen occiso Domitiano esse desierunt, neque unquam exinde numerus auctus est. Raro admodum post illa tempora factum videtur, ut senae mitterentur quadrigae, quod ut insolitum memorat se spectasse Commodo et Septimio Severo imperatoribus Dio Cass. LXXV, 4. *συνῆλθον μὲν ἀμύθητοι καὶ τὰ ἅρματα ἑξαχῶς ἁμιλλώμενα ἐθεάσαντο, ὅπερ που καὶ ἐπὶ τοῦ Κλεάνδρου ἐγεγόνει.* Sed fuisse hoc contra consuetudinem ipsa Dionis verba arguunt, neque praeter eum quemquam rei meminisse inveni; illud vero inauditum et portentosum, duodenos singulis missibus aurigas in Circo agitasse quadrigas.

Sed ut ad carceres Circi redeamus, vides etiam me non monente, si reipublicae tempore, si Caesarum ante Domitianum aetate curruum numerus quaternos certe non excedebat, nihil tot carceribus in Circo opus fuisse. Quid igitur? Negemus unquam duodecim fuisse? Immo fuerunt, sed post Domitianum. Eum enim bis Circum Maximum refecisse puto: primum inter

tot opera Neroniano incendio consumta, tum postquam rursus incendio consumtus fuerat. Sueton. Domit. 5. *naumachiam, e cuius postea lapide Maximus Circus deustis utrinque lateribus exstructus est.* Coeptum ab eo opus perfecit Traianus. Dio Cass. LXVIII, 7. *οὕτω γάρ που καὶ μεγαλόφρων καὶ μεγαλογνώμων ἔφυ, ὥστε καὶ τῷ ἱπποδρόμῳ ἐπιγράψαι, ὅτι ἐξαρκοῦντα αὐτὸν τῷ τῶν Ῥωμαίων δήμῳ ἐποίησεν, ἐπειδὴ διαφθαρέντα πη καὶ μείζω καὶ περικαλλέστερον ἐξειργάσατο.* A Domitiano igitur amplior factus, et quum duas factiones quatuor pristinis addidisset, carceres quoque bini utrinque additi esse videntur, ut duodecim essent, quot fuisse in circo Maxentii ante Bianconium testatus erat Panvinius. Duplicem vero numerum ne mireris: primum enim symmetriae ratio postulabat, ut totidem in altera parte essent carceres, quot in ea unde mittebantur currus; deinde quum certum videatur, nondum peracto priore missu paratas iam stetisse in carceribus, quae proxime subirent, quadrigas, credibile est altera parte exiisse currus cursu defunctos. Antequam vero seni mitterentur, quid tot carceribus opus fuerit, nemo facile dicat: immo octo non amplius fuisse certum videtur, ut in utraque parte aequarent numerum curruum.

Caeterum nihil est, unde rectius cognosci possit ludorum circensium ratio et modus, quam vetera artis monumenta, quae vel sola refellere istum errorem possunt. Neque enim quidquam videmus neque pictum neque fictum, neque sculptum neque scalptum, quod ei non refragetur; sed quidquid vel anaglyphorum, vel gemmarum, nummorum picturarumve Circensium imaginem exhibet, quatuor bigarum vel quadrigarum numerum non excedit. Nec poterat hoc fugere Bunsenium; sed quum omnibus invitis tamen XII portis in Circo opus esset, eo confugit, ut eam ludorum in minoribus Romae circis actorum rationem esse diceret (T. III. A. p. 626.). Isti minores qui fuerint scire velim: Florae, puto, et Salustii; nam Caligulae Neronisque insaniam modicis circis contentam non fuisse intelligo. At istos Florae Salustiique circos, inania topographorum commenta, nego fuisse: nego ullum unquam fuisse in Urbe circum, nisi Maximum; extra urbem Flaminium, for-

tasse tertium quoque, quibus Caesares demum aliquot eiusmodi opera, sed extra urbem omnia, addiderint. Hic meam ne mireris audaciam, qui duos celeberrimos circos eripere topographis et tabulis Urbis expungere non dubitem: causa mihi facilis est et probabilis. Primum enim ad Florae circum quod attinet, quem Quirinalem inter et hortorum collem (ubi nunc area Barberina) fuisse dicunt, diu me maceravi et defetigavi, quaerendo, unde tandem vv. dd. de eo quidquam compertum haberent. Nam apud scriptores silentium, nisi quod templum Florae in Quirinali colle fuisse legimus. Postremo intellexi, rem totam natam esse e perversa Fastorum Venusinorum interpretatione. Ibi enim mensis Maii quinto quartoque ante Nonas diebus haec adscripta sunt:

C V. C LVD. IN CIRCO
D IV. C FLORAE

Quae lepidissime ita coniunxerunt, ut Florae genitivum esse putarent, iamque circum Florae proprium fuisse affirmarent, quin etiam, qua sunt isti benignitate, theatrum adderent propter mimorum in Floralibus lusus. Nam praeterea nihil est, quo ista sese tueatur opinio, nisi quod antiquiores quidam topographi animadverterunt, ubi nunc sunt aedes Barberinae, fuisse aliquas substructionum reliquias, quae circi illius fortasse fuissent. Verum enimvero certissimum est, non hic, sed in Circo Maximo Florae ludos factos esse. Qui enim primi eos edidere, L. et M. Publicii aed. pl., iidem ad Circum Maximum aedem Florae dedicarunt. Tacit. Ann. II, 49. *Iisdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicavit* (Tiberius): *Libero Liberaeque et Cereri ad Circum Maximum, quam A. Postumius dictator voverat: eodemque in loco aedem Florae, ab Lucio et Marco Publiciis, aedilibus, constitutam.*

De Salustii autem circo docte et diligenter, ut solet, disseruit Eduardus Gerhardus in epistola ad Gerlachium, ed. Salustii t. II. Qui vir egregius quamquam nihil omisit, quo sustentari communis topographorum opinio possit, tamen non potuit mihi persuadere, ut eius nominis circum fuisse

crederem [59]). Tria potissimum sunt, quibus nititur tota de circo Salustii fabula: primum illae substructionum reliquiae, quae visuntur inter Quirinalem et hortorum colles, post illum, si diis placet, Florae circum, propiusque portae Salariae. Quae quidem eiusmodi sunt, ut quod ibi fuerit genus aedificiorum, nisi hariolando, nemo assequi possit. Nihilominus sunt, qui totum, qualis fuerit, circum describant, carceresque et sedilia, modo non metas, cognoscant. Ab illa ego animi hilaritate alienus paullo certiora signa requirens nulla inveni, nisi quod ex ipsa locorum facie cognosci aiunt, circum ibi fuisse. Quasi vero fieri possit, quin posita inter procurrentes colles augusta vallis et in extrema parte, coeuntibus iugis, sinuata circi quodammodo referat formam. Atqui me paratissimum haberent subscriptorem, si vel unus veterum scriptorum, fuisse Salustii circum, significaret. Nunc autem, quum nihil quidquam de eo proditum sit, cur ego circum potius ibi fuisse existimem, quam alia opera, quae sentio fuisse multa et magnifica? — Attamen, ne quid aut imprudens, aut sciens praeteriisse dicar: argumento esse putatur, quod obeliscus in hortis Salustii erectus est, quos scimus in aliis quoque circis fuisse. Testis est Ammian. Marc. XVII, 4 med. *cum Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana civitate transtulisset Aegyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio.* et in fine cap. *Secutaeque aetates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano, alter in hortis Salustii, duo in Augusti monumento erecti sunt.* Hic ego miror incuriam Ammiani, qui non in circo potius Salustii dixerit, quam in hortis. Scilicet circum, quem nominaret non habuit; sed quemadmodum ab Augusto in Campo, deinde duo obelisci erecti sunt in Mausoleo, in hortis Salustii etiam positus est obeliscus, qui loco, alto puto et conspicuo, ornamento esset. — Nihil testatur Ammianus: ad ultimam spem venimus, quae posita est in Vopisco, scribente in vita Aurel. 49. *Miliarensem denique porticum in hortis Salustii ornavit, in qua quotidie et equos et se fati-*

59) Cf. Urlichs. *Beschr. d. St. R.* III. B. p. 381. qui de carcerum situ formaque scribit, quasi supersint.

gabat. Hic igitur habemus circum. Quid ita? Porticum dici video, non circum. Est autem quisquam, qui neget aut nesciat, habuisse Romanos in villis, habuisse in hortis gestationes et hippodromos [60]): modo ne circos, qui non inter privatorum sunt voluptates, sed ubi publici fiunt spectante populo ludi.

His disputatis rem eo redire video, ut negandum sit, fuisse ante Domitianum plures quam octo in Circo Maximo carceres; negandum, XII portas carcerum fuisse aditus, quandoquidem reipublicae tempore fuerunt; ut denique porta Triumphalis tota a Circo removenda sit. De XII portis suo loco videbimus: nunc tandem quaeramus, non ubi non fuerit, sed ubi fuerit porta Triumphalis. Non fuisse ad Circum vidimus: num igitur Italis adsentiamur, inter Carmentalem et Tiberim eam collocantibus? Minime gentium. Sed quum e Campo Martio acti tamen triumphi sint, num Quirinalem inter et Capitolinum montem, sublata Ratumena, eam collocemus? Multo minus. Quid igitur fiet? an omnino fuisse negemus? Quasi non testata sit gravissimis testibus. Immo fuit; sed inter Servii portas non est numeranda, neque unquam ea in Urbem aditus fuit; quam fuisse in Campo Martio iam ostendam. Enimvero clare, si quid unquam, hoc unum apparet ex praeclaro illo Iosephi loco, ubi Vespasiani Titique triumphum enarrat; quem locum totum adscribam: Bell. Iud. VII, 5, 4. p. 1305 Huds. *Τοῦ δὲ στρατιωτικοῦ παντὸς ἔτι νύκτωρ κατὰ λόχους καὶ τάξεις ὑπὸ τοῖς ἡγεμόσι προεξωδευκότος καὶ περὶ θύρας ὄντος οὐ τῶν ἄνω βασιλείων, ἀλλὰ πλησίον τοῦ τῆς Ἴσιδος ἱεροῦ (ἐκεῖ γὰρ ἀνεπαύοντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης οἱ αὐτοκράτορες), περὶ αὐτὴν ἀρχομένην ἤδη τὴν ἕω προΐασιν Οὐεσπασιανὸς καὶ Τίτος δάφνῃ μὲν ἐστεφανωμένοι πορφυρᾶς δ' ἐσθῆτας πατρίους ἀμπεχόμενοι, καὶ παρίασιν εἰς τοὺς Ὀκταουΐας περιπάτους. ἐνταῦθα γὰρ ἥ τε βουλὴ καὶ τὰ τέλη τῶν ἀρχόντων οἵ τε ἀπὸ τῶν τιμημάτων ἱππεῖς τὴν ἄφιξιν αὐτῶν ἀνέμενον· πεποίηται δὲ βῆμα πρὸ τῶν στοῶν, δίφρων αὐτοῖς ἐλεφαντίνων ἐπ'*

---

60) Cf. quae super hac re dixi in libro, cui titulus: Gallus od. Roem. Scenen etc. t. I. p. 287.

αὐτοῦ κειμένων, ἐφ' οὓς παρελθόντες ἐκαθίσθησαν· καὶ τὸ στρατιωτικὸν εὐθέως ἐπευφήμει, πολλὰς αὐτοῖς τῆς ἀρετῆς μαρτυρίας ἀποδιδόντες ἅπαντες. κἀκεῖνοι χωρὶς ὅπλων ἦσαν ἐσθήσεσι σηρικαῖς ἐστεφανωμένοι δάφναις. δεξάμενος δ' αὐτῶν τὴν εὐφημίαν Οὐεσπασιανὸς, ἔτι βουλομένων λέγειν, τὸ τῆς σιγῆς ἐποιήσατο σύμβολον. καὶ πολλῆς ἐκ πάντων ἡσυχίας γενομένης, ἀναστὰς καὶ τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς μέρος ἐπικαλυψάμενος εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας, ὁμοίως δὲ καὶ Τίτος ηὔξατο. μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς εἰς κοινὸν ἅπασιν Οὐεσπασιανὸς βραχέα διαλεχθεὶς τοὺς μὲν στρατιώτας ἀπέλυσεν ἐπὶ τὸ νενομισμένον ἄριστον αὐτοῖς ὑπὸ τῶν αὐτοκρατόρων εὐτρεπισθέν. πρὸς δὲ τὴν πύλην αὐτὸς ἀνεχώρει τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι' αὐτῆς ἀεὶ τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας ἀπ' αὐτῶν τετυχυῖαν. ἐνταῦθα τροφῆς τε προαπογεύοντες καὶ τὰς θριαμβικὰς ἐσθῆτας ἀμφιεσάμενοι τοῖς δὲ παριδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς ἔπεμπον τὸν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥάων. Pernoctaverat igitur Vespasianus cum filio in Campo Martio, quoniam more prisco non licebat triumphaturis, qui cum imperio essent, ante triumphum ingredi in Urbem [61]). Inde, convocato senatu, prima luce ad porticum Octaviae se contulerunt, vicinam theatro Marcelli, ubi factis precibus brevique oratione habita exercitum ad prandium dimisit Vespasianus, ipse autem cum Tito r e g r e s s u s est ad portam Triumphalem. Qui qua tandem ratione r e g r e d i poterat dici, si in ipso muro erat porta Triumphalis [62]). Progrediendum, puto, fuit; propius accedendum ad urbem, non redeundum. Deinde vero, etiamne exercitum ante

---

61) Suspicor autem domum, quae eos receperat, villam publicam fuisse, quae iuncta Septis marmoreis (C i c. ad Att. IV, 16.), paene in finibus Campi propiorque pratis Flaminiis sive circo Flaminio fuisse videtur. Certe Septis vicinum fuit Isidis templum (I u v e n. VI, 529. D i o C a s s. LXVI, 24.), atque eodem ducit N o t i t i a, quae e Campo versus circum Flaminium rediens inter novissima loca nominat Iseum et Serapeum.

62) Cf. B u n s e n, *Beschr. d. St. R.* I. p. 631. II. A. p. 440. qui mirifice verbis Iosephi abusus est. Ab Octaviae enim porticu Vespasianum ad Circum Maximum se contulisse. Hoc scilicet est ἀναχωρεῖν.

portam praesto fuisse, an in Campo instructum credamus? Imperatores autem, quo tandem loco prandisse et amictum mutasse putemus, nisi in illo, ubi pernoctaverant? Postremo quid est, quod Iosephus narrat, triumphum per circos actum esse? Num negligenter vel poetice plurali usus est numero? Minime vero: sed per Circum Flaminium pariter atque Maximum pompam incessisse duobus locis testatur Plutarchus: Aemil. Paull. 32. *Ὁ μὲν δῆμος ἔν τε τοῖς ἱππικοῖς θεάτροις ἃ Κίρκους καλοῦσιν, περί τε τὴν ἀγορὰν ἰκρία πηξάμενοι καὶ τἄλλα τῆς πόλεως μέρη καταλαβόντες — ἐθεῶντο.* Lucull. 37. *πολλῇ δεήσει καὶ σπουδῇ μόλις ἔπεισαν τὸν δῆμον ἐπιτρέψαι θριαμβεῦσαι, οὐχ ὥσπερ ἔνιοι μήκει τε πομπῆς καὶ πλήθει τῶν κομιζομένων ἐκπληκτικὸν καὶ ὀχλώδη θρίαμβον, ἀλλὰ τοῖς ὅπλοις τῶν πολεμίων οὖσι παμπόλλοις καὶ τοῖς βασιλικοῖς μηχανήμασι τὸν Φλαμίνειον ἱππόδρομον διεκόσμησε. καὶ θέα τις ἦν αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν οὐκ εὐκαταφρόνητος. Ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν τε καταφράκτων ἱππέων ὀλίγοι καὶ τῶν δρεπανηφόρων ἁρμάτων δέκα παρῆλθον κ. τ. λ.* Ergo e Campo Martio per portam Triumphalem primum pompa per Flaminium incessit circum, tum demum urbem intravit, procul dubio porta Carmentali, perque Circum Maximum in Sacram viam Forumque perrexit. Quare portam Triumphalem puto fuisse in finibus Campi Martii, qua exitus erat in circum Flaminium. Atque hic, puto, est ille arcus, quem e Germania tamquam domita reversus magnifice exstruxit Domitianus. Martial. VIII, 65.

Hic ubi Fortunae Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Caesar ab ore iubar.
Hic lauro redimita comas et candida cultu
Roma salutavit voce manuque ducem.
Grande loci meritum testantur et altera dona:
Stat sacer et domitis gentibus arcus ovat.
Hic gemini currus numerant elephanta frequentem:
Sufficit immensis aureus ipse iugis.

Haec est digna tuis, Germanice, porta triumphis,
Hos aditus urbem Martis habere decet.

Nunc ne quis mihi opponat Ciceronis verba, dicatque propterea pro urbis sive muri porta habendam esse Triumphalem, quod ille Pisoni exprobraverit non licuisse ea introire in urbem; quod nihili est. Paullo aliter res haberet, si vel Cicero dixisset, introisse (quod fieri non potuit), vel Piso negasset se ea porta urbem intrasse, sed Esquilina. Nunc autem quum Cicero errore dixisset introisse eum Caelimontana, Piso autem scurriliter sponsione eum provocasset, ni Esquilina: quasi vero, inquit, ad rem id pertineat: modo ne triumphali; quo tota infringitur et immutatur verbi introeundi vis. Quoties enim fit, ut unum verbum duabus aptetur sententiis, alteri strictiore, alteri ampliore significatu. Cuiusmodi sunt illa p. Rosc. Amer. 8. *cum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare praeparet.* vel: *Ne tenues pluviae rapidive potentia solis Acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat;* vel: *dum robora tellus, Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas.* Hic igitur transeundi per portam notio ex introeundi verbo supplenda est. Verum haec vulgaria; zeugma vocant Grammatici.

De porta Flumentana.

Proxima Carmentali putatur fuisse porta Flumentana, et nomen quidem fluminisque vicinia satis testata sunt verbis Ciceronis ad Att. VII, 3. et Livii XXXV, 9. 21., qui plus semel circa eam aedificia Tiberis undis proruta narrat. Situs tamen paullo incertior est, neque lucem afferunt illa Pauli Diac. p. 89 Müll. *Flumentana porta Romae appellata, quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant.* Accedit, quod nonnihil difficultatis parare videntur, quae Livius VI, 20. tradit: de T. Manlio Capitolino ut iudicium fieret, *in Poetelium lucum extra portam Flumentanam* [63]*), unde conspectus in*

63) Nardinus, t. II. p. 54. ed. Nibby. ineptissime coniecit: *extra portam Nomentanam.* At Nomentanam portam post aliquot saecula demum fecit Aurelianus; ante eum Collina porta exibant Nomentum petentes. Atque hanc eius coniecturam recepit Drakenborchius!

Capitolium non esset, populi iudicium indictum esse; cum quo consentit, portae nomen tamen omittens Plut. Camill. 36. *Ὁ δὴ συμφρονήσας ὁ Κάμιλλος μετήγαγεν ἔξω πύλης τὸ δικαστήριον εἰς τὸ Πετηλῖνον ἄλσος· ὅθεν οὐκ ὄντος τοῦ Καπιτωλίου καταφανοῦς ὅ τε διώκων ἐχρήσατο τῇ κατηγορίᾳ καὶ τοῖς κρίνουσι παρεχώρησεν ἡ μνήμη τῶν γεγονότων κ. τ. λ.* Exspectaveris sane procul potius a Capitolio factum iudicium, quam extra portam Flumentanam, non longe distantem; sed fortasse recte Bunsenius monuit, in luco arboribus denso, quamvis vicino, conspectum Capitolii tamen ademtum fuisse. Neque vero ullus est locus praeter forum Olitorium, ad quem portam flumini, ut apparet, proximam esse potuisse dixeris.

De porta Trigemina.

Quemadmodum a Capitolio ad flumen murus descenderat, ita ab ea ripae parte, quae contra est septemtrionalem Aventini angulum, rursus surgebat, totumque amplexus montem ad Caelium pergebat. Et in ipso quidem, ubi montem attingebat, loco nobilis illa erat porta Trigemina, appellata, ut videtur, a tribus, qui ibi patebant, Ianis sive fornicibus. Erat autem loco Salinae nomen, nobili eo quoque, quod ibi ab ipsa porta ad summa montis ducebat clivus Publicius. Haec ex paucis scriptorum locis certissima tamen cognoscere licet. Princeps est auctoritas Frontini, qui de aquae Appiae ductu scribit Art. 5.: *Ductus eius habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam, passuum XICXC.* et paullo post: *Incipit distribui Appia imo Publicio clivo ad portam Trigeminam.* Huic accedit Solinus 1, 8. *Qui Cacus habitavit locum cui Salinae nomen est, ubi Trigemina nunc porta.* Frequentissimam autem fuisse hanc portam oportet, quod extra eam fuit emporium inter montem et Tiberim, qui locus, tunc amplior, hodie angustus est, postquam arduum et circumcisum latus montis ruderum immensitate declive est factum. — Vicinas portae Trigeminae fuisse oportet illas XII portas propterea, quod Notitia regionis XI fines describens haec habet: Templum Solis, et Lunae, et

Mercurii, aedem Matris deum et Iovis, Cererem, XII portas, portam Trigeminam, Apollinem Caelispicem, Herculem Olivarium, Velabrum, arcum Constantini (Ianum). Apparet, describendi initium factum esse in fine dextri lateris Circi, sub Aventino positi, et quum vallem ipse Circus expleret, necesse est omnes, quae ad Cererem usque nominantur aedes, altius ad Aventinum fuisse, quae quoniam spectabant Circum et religione fortasse quadam cum ipso erant coniunctae, non XIII regioni (Aventino), sed undecimae adscribebantur. Ac de Cereris aede rem compertam habemus; scribit enim Dionys. VI, 94. *ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἱπποδρόμου τέρμασιν ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένος τὰς ἀφέσεις.* Iam quum XII portae inter Cererem et portam Trigeminam nominentur, id quidem certissimum est, muri portas non fuisse; quisnam vero earum fuerit usus, dictu difficile est. Quum tamen reputo, debuisse eas proximas esse clivo Publicio, prope adducor, ut ad aquae Appiae ductum eas pertinuisse credam, cuius hic fuit castellum.

De porta Navali.

Quae proxime sequitur ex omnium topographorum sententia porta Navalis, a solo ea commemoratur Festo, sive potius Paul. Diac. p. 179. *Navalis porta a vicinia navalium dicta.* Navalia autem trans Aventinum, atque ultra emporium fuisse, apud omnes pariter invenies, loco ita certo et explorato, ut Nibbyus[64]) inutile iudicaverit, de re comperta minimeque dubia post alios verba facere. Nos, ut sumus curiosi, non piget iterare quaestionem, nihil fidentes auctorita-

---

64) *Mura di Roma.* p. 206. Che poi i Navalia fossero da questa parte del Tevere, cioè sulla sua riva sinistra è cosa troppo dimostrata, perchè stimiamo opportuno il trattenerci a provarlo. Magna hic quoque est Bunsenii levitas, scribentis t. II. p. 11. „Die Lage von diesen (Navalium) unter dem nordwestlichen Abhange des Aventins ist aber nicht zu bezweifeln, wie an seinem Orte bewiesen werden wird.“ Pendeo animi, quo loco futurum sit: nam ubi de Aventino atque eo ipso campo, in quo navalia fuisse putantur, exponitur (Monte Testaccio), nihil reperi, nisi rem demonstratam iam esse. (III. A. p. 433.) Livium incuriae arguit.

tibus, nisi veterum scriptorum. Qui quidem raro eos deserunt, quos fideli cura operam antiquitati navare intelligunt. Atque idem hic quoque fieri video, ita adiutus eorum ope, ut in omne tempus ista ex Aventino navalia tollere et ei loco reddere possim, quo Romani ea esse voluerunt. Primus enim Livius egregie nos iuvat, docens navalia fuisse contra Prata Quinctia III, 26.: *Spes unica imperii populi Romani L. Quinctius trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quatuor iugerum colebat agrum, quae Prata Quinctia vocantur.* Putaveram igitur illum L. Quinctii agrum fuisse post Ianiculum, meridiem versus; ea enim regio istis ad Aventinum navalibus opponitur; sed correxit Plinius, paullo aliter scribens XVIII, 3, 4.: *Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quae Prata Quinctia appellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam.* Hic mihi primum iniecit scrupulum; sed quamquam intellexi, ineptissime statuere Donatum, existimantem, posse et illum trans Ianiculum agrum Vaticanum appellari, atque item absurdissime Nardinum, agrum Quinctii in Vaticano, nihilominus autem navalia ad Aventinum collocantem; quamquam denique sensi neque Livium neque Plinium errare potuisse, tamen haeserat animo penitus illud topographorum praeceptum, ut emendandum potius Plinium, quam deserendos eos censērem. Paullo plus suspicionis iniecit mihi Plutarchus, de Catone minore scribens c. 39. *Περαιωθεὶς δὲ ταῖς ναυσὶν* (e Cypro) *οὐκ ἔλαθε τοὺς Ῥωμαίους, ἀλλὰ πάντες μὲν ἄρχοντες καὶ ἱερεῖς, πᾶσα δ' ἡ βουλὴ, πολὺ δὲ τοῦ δήμου μέρος ἀπήντων πρὸς τὸν ποταμόν. ὥστε τὰς ὄχθας ἀμφοτέρας ἀποκεκρύφθαι, καὶ θριάμβου μηδὲν ὄψει καὶ φιλοτιμίᾳ λείπεσθαι τὸν ἀνάπλουν αὐτοῦ. Καίτοι σκαιὸν ἐνίοις τότ' ἐφαίνετο καὶ αὔθαδες, ὅτι, τῶν ὑπάτων καὶ τῶν στρατηγῶν παρόντων, οὔτ' ἀπέβη πρὸς αὐτοὺς, οὔτ' ἐπέσχε τὸν πλοῦν, ἀλλὰ ῥοθίῳ τὴν ὄχθην παρεξελαύνων ἐπὶ νεὼς ἑξήρους βασιλικῆς, οὐκ ἀνῆκε πρότερον, ἢ καθορμίσαι τὸν στόλον εἰς τὸ νεώριον.* Ad portam enim, puto, ex more (Plutarch. Fab. 18.) magistratus patresque obviam prodierant, et quum extra tamen portam navalia essent, mirabar qui praetervehi eos potuerit Cato ad navalia

properans. Vehementius etiam commotus sum verbis Livii XLV, 42.: *Naves regiae* (Persei) *captae de Macedonibus, inusitatae ante magnitudinis, in Campo Martio subductae sunt.* atque inclinante iam animo, ut ibidem navalia fuisse crederem, perpulit me tandem Procopius, ipsis verbis rem apertissime narrans de bell. Goth. IV, 22.: *ἔτι μέντοι καὶ ὅσα μνημεῖα τοῦ γένους ἐλέλειπτο ἔτι, ἐν τοῖς καὶ ἡ ναῦς Αἰνείου τοῦ τῆς πόλεως οἰκιστοῦ καὶ εἰς τόδε κεῖται, θέαμα παντελῶς ἄπιστον. νεώσοικον γὰρ ποιησάμενοι ἐν μέσῃ τῇ πόλει παρὰ τὴν τοῦ Τιβέριδος ὄχθην, ἐνταῦθά τε αὐτὴν καταθέμενοι, ἐξ ἐκείνου τηροῦσιν.* Iam. puto, satis hoc testium est, fuisse navalia in Campo Martio; aut ego nescio, quid satis sit. In media urbe ad Tiberim navalia narrat Procopius; naves captas in Martio Campo subductas, Livius; Catonem nave per urbem vectum ad navalia, Plutarchus; Prata Quinctia in Vaticano fuisse, testatur Plinius; eadem contra navalia memorat Livius. Num quis relictus est dubitationi locus? Nihil est, nisi quod aiunt propterea extra urbem trans Aventinum navalibus locum esse datum, quod intra urbem pontibus clausus fuerit maioribus navibus cursus. Audio; sed, uti nescio, quare illum potissimum in Campo locum Romani elegerint aptumque habuerint, ita hoc unum intelligo, si *inusitatae magnitudinis naves* transire per pontium fornices potuerint, etiam Romanis navigiis Tiberim navigabilem fuisse. Caeterum quum in Campo Martio hodieque area sit, a navibus appellata, Piazza Navona, suspicor circa eum locum, versus Tiberim, fuisse navalia; nam in area ipsa circum quondam fuisse, prae caeteris docet Anonymus Einsiedlensis, apud quem manifesto errore Flaminius saepius dicitur. — Quid igitur statuamus de porta Navali, a Festo commemorata? ne eam quidem inter urbis portas sed aditum fuisse ad navalia, locum, puto, septum et a Campo seclusum [65]).

---

65) Praetereundum non est, illum agrum, qui a Mausoleo Hadriani versus pontem Milvium patet. et medio aevo vocatum esse i Prati, et etiamnum hoc nomine appellari. Fortasse latius etiam ad sinistram patebant, qui locus nunc novae urbis aedificiis oppletus est.

De reliquis ad Aventinum portis.

Ab Aventino quo ductu murus ad Caelium montem pervenerit, non una est topographorum sententia, statuentibus aliis, solum eum complexum Aventinum per vallem ad Caelium perrexisse; aliis inclusum fuisse illud iugum, non medioeri valle ab Aventino seiunctum, in quo nunc sunt aedes Sancti Sabbae et Sanctae Balbinae. Inter quos medius Bunsenius partem tantum eius collis, ubi S. Balbina, adsumtam putat. Ego malim priori sententiae accedere; nisi praestat confiteri, nos de huius muri ductu nihil scire, nisi nescire. Ut tamen clauderetur undique urbs, vulgarem opinionem secutus collem adiacentem totum inclusi; nihil causae videns esse, quare partem tantum additam urbi credam. — Exterminata autem porta Navali, tres reliquae sunt portae, quas in his locis certo scimus fuisse. Auctor est Varro L. L. V, 34. p. 163. *Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis: etenim loca, ubi ea, sic dicta*[66]. *Deinde porta Rauduseulana, quod aerata fuit. — Hinc Lavernalis ab ara Lavernae, quod ibi ara eius.* Est tamen paullo obscurius, quorsum Varro dirigat iter, quoniam duo, quae praecesserant, libri folia interciderunt. Itaque alii aliter existimarunt, proximamque Trigeminae vel, qui fuit eorum error, Navali Itali Lavernalem collocarunt. Naeviam Bunsenius. Atque hic quidem rectius, quoniam in antecedentibus Varro de domo Ennii locutus videtur, quem habitasse in Aventino scribit Hieronymus. t. I. p. 369 Ronc. Atque ita esse, tibi persuadebis, si consideraveris, quo ordine exercitum ante portas disposuerit Valerius: Liv. II, 11. (jubet) *Sp. Lartium cum expedita iuventute ad portam Collinam stare donec hostis praetereat; deinde se obiicere, ne sit ad flumen reditus. Consulum alter T. Lucretius porta Naevia cum aliquot manipulis militum egressus: ipse Valerius Caelio monte cohortes delectas educit.* Igitur quum medius inter Lartium et Lucretium staret Valerius, credibile est, aequo intervallo co-

---

66) Müll.: *quod in nemoribus Naeviis (Naevii etenim loca ubi ea) sic dicta.* Male. Loca, ubi porta, sic dicta ait Varro.

pias fuisse dispositas, tantumque fere a porta Caelimontana abfuisse Lucretinm, quantum Sp. Lartium; quod factum non foret, si porta Naevia proxima fuisset Capenae, ad Caelium sitae. — Ne tamen Naeviam eo in loco ponamus, quo vulgo Navalis fuisse dicitur, in angulo montis meridiano, contra portam Ostiensem, qua angustis faucibus adsceuditurinAventinum, prohibet Basis Capitolina, in regione XII (Piscina publica) recensens tam Naeviae portae vicum, quam Rauduscnlanae. Quare si fuit in illo loco porta, ut videtur fuisse, aut nomen eius intercidit, aut quaerendum inter dubia illa, de quibus postremo dicam. Naeviam autem fuisse oportet, ubi transversus secabat murus convallem, inter Aventinum et adiacentem collem, atque ea principem ad Urbem e locis maritimis aditum fuisse crediderim. De nomine cf. Fest. p. 169 Müll. Commemoratur et Iul. Obseq. 104. — Sequitur Rauduscnlana, caeterum ignota, nisi quod nominis rationem praeter Varronem varie explicant Paul. Diac. p. 275. et Valer. Max. V, 6, 3. Nec Lavernalem quisquam praeter Paul. Diac. p. 117. commemorat. Quas quum tamen Varro in his partibus fuisse affirmet, ad ipsum collem eas fuisse necesse est; alteram, ut videtur, supra thermas Caracallae, qua post thermas in collem est iter; alteram prope aedem S. Balbinae. Sed nihil hic certius affirmaverim, praesertim quum dubius sit ipse murorum ductus.

De portis ad Caelium sitis.

Tandem ab incertis nominibusque locisque ad certiora pergere concessum est, certe portas quod attinet; nam murorum ductum hic quoque ambiguum esse invenies. Attamen post ea, quae super hac re prudenter diligenterque disseruit Bunsenius (I. p. 637 sqq. III. A. p. 477 sqq.), verisimillima ratio esse videtur, ut exclusa ea parte, qua in planitiem mons exit leniter declivis (ubi aedes Lateranenses), tum vero etiam iugo illo angusto, qui Caeliolus putatur esse, solum maïorem Caelium moenibus cinctum fuisse credamus. — Duae in hoc monte fuerunt portae nobilissimae, Capena et Caelimontana;

quarum priorem ibi fuisse constat, ubi montem murus primum tangebat. Quod quum ab aliis demonstratum et in vulgus notum sit, de ea breviter a me strictimque dicetur. Scimus igitur, ad eam fuisse caput viae Appiae, cuius quum repertus sit primus lapis extra portam Appiam (P. di S. Sebastiano), passibus paene metiri licet, quod inter eum et portam fuit spatii. Observavit Bunsenius, non potuisse eam altius esse ad montem, quod impositus ei fuerit ductus aquae Marciae (rivus Herculaneus); qui quidem per Caelium ipsum ductus erat rivus sed inferior: Frontin. Art. 19. *Marcia autem partem sui post hortos Pallantianos in rivum, qui vocatur Herculaneus, deiicit: is per Coelium ductus ipsius montis usibus nihil, ut inferior, subministrans, finitur supra portam Capenam.* Hinc Iuven. 3, 11.

Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.

et Mart. III, 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Caeterum eam ad imas fuisse montis radices (Villa Mattei) vel propterea necessarium, quod in valles maxime inter Caelium, Palatium et Aventinum per eam aditus fuit. Quum vero ante Servium Caelius mons Palatio iunctus fuerit, credi potest, portam hanc, uti et Carmentalem, eo rege fuisse antiquiorem; quamquam a Livio non satis certum peti posse argumentum concedo, qui lib. I, 26. scribit, Horatio sororem obviam fuisse ante portam Capenam. — Caelimontanae autem situs minus certis rationibus potest definiri, praeterquam quod e Livii l. l. colligitur, eam orientem versus fuisse. Quare non inanis videtur Nibbyi coniectura, tetendisse ad eam viam, cuius pars (nisi tota) Caput Africae appellabatur. Huic vero respondere viam, quae hodie vocatur Via di SS. Quattro Coronati, inde apparet, quod quae ibi olim fuit aedes S. Stephani, in Capite Africae cognominata fuit. Idem perspicue docet Anonymus Einsiedlensis, qui describens iter a porta S. Petri (Aurelia) ad portam Asinariam (S. Giovanni) a Palatino pergens ad dextram haec dicit esse: *Arcus Constantini. Meta sudante. Caput affricae. Quattuor coronati. Sci ioannis in*

lateranis. Itaque recte Bunsenius Caelimontanam portam circa hospitium S. Ioannis constituisse videtur.

De portis ad aggerem.

A Caelio monte murus ductu non satis certo ad portam Esquilinam pergebat. Ab eo loco ad Collinam usque quum iuga paullatim in plana desinerent, facillimusque hostibus ad Urbem accessus daretur, in simplici muro non satis munimenti esse visum est. Itaque Servius immane aggeris opus molitus est, qui infestis agminibus obiiceretur, tutamque urbem non minus praestaret, quam in caeteris partibus ipso locorum ingenio provisum erat. Scilicet hoc est inter ingentia regum opera, tanta tamque immensa, ut sera etiam aetas admirata sit *aggeris vastum spatium et substructiones insanas Capitolii, praeterea cloacas, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus atque urbe pensili subterque navigata* (Plin. XXXVI, 15, 24. cf. III, 5, 9.) Qui agger qualis fuerit, scriptum est a Dionys. IX, 68. *ἓν δὲ χωρίον, ὃ τῆς πόλεως ἐπιμαχώτατόν ἐστιν, ἀπὸ τῶν Ἐσκυλίνων καλουμένων πυλῶν μέχρι τῶν Κολλίνων, χειροποιήτως ἐστὶν ὀχυρόν. τάφρος τε γὰρ ὀρώρυκται πρὸ αὐτοῦ, πλάτος, ᾗ βραχυτάτη, μείζων ἑκατὸν ποδῶν, καὶ βάθος ἐστὶν αὐτῆς τριακοντάπουν· τεῖχος δ' ὑπερανέστηκε τῆς τάφρου χώματι συνεχόμενον ἔνδοθεν ὑψηλῷ καὶ πλατεῖ, οἷον μήτε κριοῖς κατασεισθῆναι μήτε ὑπορυττομένων τῶν θεμελίων ἀνατραπῆναι. τοῦτο τὸ χωρίον ἑπτὰ μέν ἐστι μάλιστα ἐπὶ μῆκος σταδίων πεντήκοντα δὲ ποδῶν ἐπὶ πλάτος.* Quocum comparandus Strabo V, 3. p. 234. omissum a Dionysio portae nomen addens. Reprehendit autem, quod priores reges huius loci munitionem omiserint: *Ἤλεγξε δὲ Σερούϊος τὴν ἔκλειψιν· ἀνεπλήρωσε γὰρ προσθεὶς τόν τε Ἠσκυλῖνον λόφον καὶ τὸν Οὐϊμινάλιον· καὶ ταῦτα δ' εὐέφοδα τοῖς ἔξωθέν ἐστι· διόπερ τάφρον βαθεῖαν ὀρύξαντες εἰς τὸ ἐντὸς ἐδέξαντο τὴν γῆν, καὶ ἐξέτειναν ὅσον ἑξαστάδιον χῶμα ἐπὶ τῇ ἐντὸς ὀφρύϊ τῆς τάφρου καὶ ἐπέβαλον τεῖχος καὶ πύργους ἀπὸ τῆς Κολλίνης πύλης μέχρι τῆς Ἠσκυλίνας. ὑπὸ μέσῳ δὲ τῷ*

χώματι τρίτη ἐστὶ πύλη ὁμώνυμος τῷ Οὐιμιναλίῳ λόφῳ. Huius igitur aggeris vestigia grandia etiamnum conspiciuntur, maxime circa villam Negroniam thermasque Diocletiani, quae diligenter descripta invenies a Bunsenio (I. p. 640 sqq.).

Quae ad eum fuere portae, earum primam, Esquilinam, non dubium est fuisse circa eum locum, ubi hodieque conspicimus arcum Gallieni, contra fere castellum aquae Iuliae (Trofei di Mario). In his enim locis concurrisse Praenestinam et Labicanam viam auctor est Strabo, quo de loco dicam, ubi de moenibus Aureliani exponendum erit; neque enim potest de his viis deque Esquilina porta dici dilucide, nisi simul earum portarum rationem habeamus, quae prolatis finibus Urbis muroque ampliore ambitu ducto in unius Esquilinae locum successerunt. — Viminalem portam, cuius praeter Strabonem meminerunt Fest. p. 161. 376 Müll. et Frontin. Art. 19., probabiliter constituere licet. Nam in medio eam Serviano opere factam narrat Strabo, quod fere congruit cum eo loco, quo hodie quoque incisum aggerem post thermas Diocletiàni a parte villae Negroniae videmus. — Collinam denique necesse est ibi fuisse, qua coeunt viae Salaria et Nomentana (hodie Via Pia), quae ab eadem incipiebant porta: Strabo V, 3. p. 228. *Ἔστρωται δὲ δι' αὐτῶν (Σαβίνων) ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νωμεντάνη συμπίπτει, κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβίνης κώμην ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, ὑπὲρ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλινῆς.* Eam et Quirinalem, et Agonensem vocatam esse tradit Paul. Diac. p. 10. 255.

De falsis incertisve portarum nominibus.

Moenia urbi Romae circumdedimus mediocriter ampla, tamen suffectura potentissimae orbis dominae: quindecim portis aditum in urbem patefecimus, sextae decimae locum servavimus: num satis esse portarum videtur, an amplius etiam speratur? Ego vero satis esse puto; immo ne locum quidem relictum video, in quo potuerit esse porta, nisi forte in Caelii partibus

quibusdam. Alii tamen alias addiderunt, quas numero sex maxime esse reperio. De quibus antequam dicam, praemittendum mihi est, non quidquid portae nomine apud veteres dignatur, pro Urbis portis habendum esse. Quamquam enim non omni ex parte vera dixerim, quae scribit Servius ad Aen. I, 87. *Omnis exitus vel introitus porta dicitur, quasi qua potest vel importari, vel exportari aliquid;* tamen multos intra quoque urbem fornices portarum nomine appellatos esse certum est. Cuius rei luculenta exempla sunt: porta Stercoraria, qua claudebatur ille ad clivum Capitolinum locus, in quem certa die stercus ex aede Vestae deferebatur (Varro L. L. VI, 4. p. 213. Fest. p. 344.), et porta Libitinensis in amphitheatris (Lamprid. Comm. 16.). Eodem pertinet porta Fenestella (Ovid. Fast. VI, 572. Plut. Quaest. Rom. 36. de fort. Rom. 10.). Ipsa enim fabula, quantumvis obscura, id certe docet, neque de muro, neque de templo Fortunae cogitandum esse (cf. Merkel. p. CLIII.); eodem denique illa porta Romana cf. p. 48., quem fornicem aquae ductus fuisse haud obscurum est, ut et apud Martialem IV, 18.

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,

aquae Virginis, ut videtur, arcum intelligentem. — Deinde id quoque fieri potuit, ut unius portae duo essent nomina, alterum proprium et antiquius, alterum aliqua de causa vulgo additum. Sunt autem etiam nomina quaedam, quae soli debentur topographorum levitati, vitiosa veterum librorum scriptura confidentium. De his primum dicam. Dicitur enim fuisse porta quaedam Ferentina, quam ad Caelium propter aedem S. Stephani collocare non dubitavit Nibbyus. Ibi Romulum post Tatii necem Latii urbes lustrasse narrat Plutarchus Rom. 24. *καὶ καθαρμοῖς ὁ Ῥωμύλος ἥγνισε τὰς πόλεις, οὓς ἔτι νῦν ἱστοροῦσιν ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι.* Et potuit hoc sibi persuadere Nibbyus, ad Romae portam sacra esse facta, quibus lustrarentur Latii urbes? Emendatio facilis est: lege *ἐπὶ τῆς Φερεντίνης ὕλης*; cum enim solemnem fuisse locum, in quo convenirent Latini nominis populi, vix est quod moneam. — Alterum non minus inane nomen est portae Metiae. De quo quum nuper scripserit vir ille exi-

mius, a quo nunc omnium vota sospitem expetunt Plautum, Frid. Ritschelius[67]), nihil mihi relictum est, quod dicam, nisi demonstratum iam esse dilucide, nullum apud Plautum eius nominis esse vestigium. His igitur missis ad ea properemus nomina, quae leguntur quidem in veterum libris, caeterum sunt obscura. In his primum locum obtinet porta Minutia. Paul. Diac. p. 122 Müll. *Minutia porta Romae est dicta ab ara Minuti, quem deum putabant.* et p. 147. *Minutia porta appellata est eo, quod proxima esset sacello Minutii.* Eam ut urbis portam fuisse dicamus certa quidem ratio non est; sicuti nulla cur negemus causa. Igitur quum vidisset Nibbyus, a Plinio duobus locis XVIII, 3, 4. XXXIV, 5, 11. narrari, L. sive P. Minutium a populo, unciaria stipe collata, statua extra portam Trigeminam donatum esse, quod farris pretium ad assem redegerit, et similia Livium quoque IV, 16. prodere, suspicatus est ibi fuisse portam Minutiam. Ego vero si inferioris aetatis scriptor de sacello Minuti prodidisset, haud dubitanter in hanc pedibus irem sententiam, qui persuasum habeam, non semel statuam sub fornice stantem pro sacello habitam esse; nunc autem Verrii auctoritas dubium me facit, nisi, quae ille scripserat paullum detorta esse a Festo, magis etiam a Paulo credamus. Nihilominus nolim Nibbyi coniecturam ut ineptam reprobari, fieri posse existimans, ut aliqua inter illud Minuti sacellum et statuam Minutii ratio intercesserit. Quod si statuendum sit, portam Minutiam credam fuisse aut ubi nunc est aedes S. Mariae in Aventino (del Priorato), aut in faucibus illis, ubi porta Navalis inepte vulgo creditur fuisse. Qui quidem locus vel propterea aptissimus statuae Minutii videtur fuisse, quod in ea emporii parte res frumentaria praecipue videtur exercita esse, siquidem Bufalini etiam tabula Urbis (cuius videndae copiam mihi Romae non factam esse, non possum satis dolere) in his locis Horrea populi Romani refert.

Non magis certum est nomen portae Querquetulanae sive Querquetulariae, quam bis nominari videmus. Fest.

---

67) In dissertatione praemissa indici scholarum aest. h. a. — Cf. quae infra dicuntur de porta vulgo Praenestina dicta.

p. 261. *Querquetulanae virae putantur significari nymphae praesidentes querqueto virescenti, quod genus silvae indicant fuisse intra portam, quae ab eo dicta sit Querquetularia.* Tum Plin. XVI, 10, 15. *Silvarum certe distinguebatur insignibus* (Roma). *Fagutali Iove etiam nunc, ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana.* Locus non indicatur, sed ad Caelium eam fuisse suspicari licet, quem Querquetulanum antiquitus appellatum esse scribit Tacit. Annal. IV, 65. Quare in eo fere consenserunt vv. dd., fuisse eam in faucibus inter Caelium et Esquilinum positam. Ego, quamquam non nescius, esse et alium in ipso Caelio locum, ubi portam fuisse credibile sit (ad aedem S. Stephani), tamen ut vv. dd. adsentiar prope compellor verbis Varronis, L. L. V, 8. p. 54. *Secundae regionis Exquiliae. alii has scripsere ab excubiis regis dictas; alii ab eo, quod excultae a rege Tullio essent*[68]). *Huic origini magis concinunt loca vicini (?), quod ibi lucus Facutalis et Larum Querquetulanum sacellum et lucus Mefitis et Iunonis Lucinae* etc. Apparet igitur Larum Querquetulanum sacellum Esquiliis vicinum fuisse, in ea videlicet Caelii parte, quae vergit in Esquilinum, nisi in ipsa adeo valle fuit. Ne tamen certissimam rem habeam, impedit quodammodo Cicero, Caelimontanam et Esquilinam portam bis eo nexu commemorans, ut inter eas tertia porta non fuisse videatur, in Pis. 23. 25. Quod quamvis leve non tamen tacendum putavi.

Duo restant nomina omnium incertissima Catulariae et Piacularis. Neutrius nomen usquam invenies, nisi apud Festum et Paul. Diac. p. 45 Müll. *Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum Caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur* etc. Recte

68) Müllerus, in emendando Varrone nequaquam felix, lacunam esse suspicatus ita eam explevit: *alii ab aesculetis. Huic origini* etc. Adsentitur Bunsenius (I. p. 696). Cui coniecturae id ipsum refragatur, quod Varroni mons non scribitur Esquiliae, sed Exquiliae. Est autem locus integerrimus; modo animadvertissent vv. dd., quid Varro loquatur. Dicit Exquilinum vocatum esse montem, quod primus Servius Tullius eum excoluerit; antea enim silvis eum obsitum fuisse, quod testentur nomina locorum vicinorum et nemorum sacrorum copia.

viderunt veteres topographi, pertinere hoc ad Robigalia, de quibus vid. Ovid. Fast. IV, 901 sqq. Fast. Praenest. a. d. VII Kal. Mai. Quae sacra quum extra Urbem via Claudia ad V lapidem sint fieri solita, apparet nihil eam portam ad moenia Romae adtinere. Nam quod scriptum videmus: *Catularia porta Romae dicta est*, id ipsius Pauli ineptiis debetur, non Festo, nedum Verrio. Ne mihi quis vero opponat auctoritatem scholiastae, qui dicitur, Suetonii, scribentis ad Aug. 100. *Porta triumphalis media fuisse videtur inter portam Flumentanam et Catulariam.*, quo nihil poterat dici ineptius. At eum saeculi XV hominem esse, recte indicavit Bunsenius, I. p. 630. Puto fornicem quendam ad lucum Robiginis ita vocari solitum esse. — Postremo de Piaculari apud Festum scriptum est ita p. 213.: *Piacularis porta appellatur propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant.*, quibus e verbis neque an urbis porta fuerit, neque, si fuerit, primarium an secundarium aliquod nomen sit, ulla opera erues.

Tandem eo pervenimus, ut negare liceat, plures quam XV, aut ad summum XVII Serviani muri portas a Romanarum rerum scriptoribus nominari. Et potest vel hic numerus maior videri, quam pro ambitu urbis exspectaveris, praesertim si consideraveris, Aurelianum, multo amplioris muri auctorem, XIV portis maioribus contentum fuisse. De quibus antequam exponam, de moenibus trans Tiberim factis strictim dicendum est.

De Ianiculo moenibus cincto.

Ianiculum ab Anco Marcio munitum esse Dionysius et Livius prodiderunt. Quorum prior in hunc modum scribit III, 45.: *Ἐτείχισε δὲ καὶ τὸ καλούμενον Ἰανίκολον, ὄρος ὑψηλὸν ἐπέκεινα τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ κείμενον, καὶ φρουρὰν ἱκανὴν ἐν αὐτῷ κατέστησεν, ἀσφαλείας ἕνεκα κ. τ. λ.* Eadem fere habet Livius I, 33. *Ianiculum quoque adiectum, non inopia locorum, sed ne quando ea arx hostium esset. id non muro solum, sed etiam — ponte Sublicio — coniungi urbi placuit.* His accedit Procopius, longe aliam, utpote rerum antiquarum ignarus, munitionis causam referens

Goth. I, 19.: *τούτου δὲ ἀντικρὺ τοῦ χώρου, ἐκτὸς τοῦ Τιβέριδος, λόφον τινὰ μέγαν ξυμβαίνει εἶναι, ἔνθα δὴ οἱ τῆς πόλεως μύλωνες ἐκ παλαιοῦ πάντες πεποίηνται, ἅτε ὕδατος ἐνταῦθα πολλοῦ διὰ μὲν τοῦ ὀχετοῦ ἀγομένου ἐς τὴν τοῦ λόφου ὑπερβολὴν, ἐς τὸ κάταντες δὲ ξὺν ῥύμῃ μεγάλῃ ἰόντος. διὸ δὴ οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι τόν τε λόφον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν τοῦ ποταμοῦ ὄχθην τείχει περιλαβεῖν ἔγνωσαν, ὡς μὴ τοῖς πολεμίοις δυνατὰ εἴη τούς τε μύλωνας διαφθεῖραι καὶ ποταμὸν διαβᾶσιν εὐπετῶς τῷ τῆς πόλεως περιβόλῳ ἐπιβουλεύειν.* Haec ad Aureliani vel Honorii muros spectant: sed et Ancum credibile est, immo necesse, munita in Ianiculo arce, ad ripam Tiberis muros duxisse, qui contra essent ipsius Urbis muros, item in opposita ripa desinentes. — Caeterum quod Livius dixit, adiectum esse Ianiculum, id cave in eam partem accipias, quasi Transtiberina regio Urbi accesserit, quae ne extremis quidem reipublicae temporibus pro Urbis parte fuit: id quod clare apparet e verbis Ciceronis, de lege agr. I, 5. *Ubi enim cavetur, ne in Ianiculo coloniam constituatis? ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis?* et cap. 27. *Quid igitur est causae, quin coloniam in Ianiculum possint deducere et suum praesidium in capite atque cervicibus vestris collocare?* — Iam in his trans Tiberim moenibus debuisse aliquid esse portarum, nemo non videt: unam certe in summo monte ipsaque arce, quam Aureliam postea vocatam mox videbimus. An plures fuerint, non habeo dicere, nisi necessarias certe non videri.

De moenibus Aureliani.

Nullum est evidentius Romanae potentiae signum, nulla apertior fracti imperii declaratio, quam octavo demum post Servium saeculo exacto nova tuendae Urbi moenia parasse Aurelianum. Tanta fuit victa Carthagine Romae securitas, tantus domitarum gentium contemtus, tam certa armorum fiducia, ut nec reficere muros antiquos operae pretium quisquam esse putaret, et amplissima circum luxuriantis magnificentiae opera immunita paterent. Admirati sunt insolitum illis temporibus apertae ur-

bis exemplum Graeci inprimis scriptores, ex quibus Strabo fallitur tamen nonnihil, quum, quod Spartanae virtutis consilium fuisse fertur, voluisse ait Romanos civium corpora pro moenibus esse; re potius ipsa declarante, negligendi muri eam fuisse causam, quod nihil iam ab hoste metuendum esset. At ille, postquam de regum operibus dixit, in hunc modum scribit V, 3. p. 234.: *Τὸ μὲν οὖν ἔρυμα τοιοῦτόν ἐστι τὸ τῆς πόλεως, ἐρυμάτων ἑτέρων δεόμενον. Καί μοι δοκοῦσιν οἱ πρῶτοι τὸν αὐτὸν λαβεῖν διαλογισμὸν περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ τῶν ὕστερον, διότι Ῥωμαίοις προσῆκεν οὐκ ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὅπλων καὶ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔχειν τὴν ἀσφάλειαν καὶ τὴν ἄλλην εὐπορίαν· προβλήματα νομίζοντας οὐ τὰ τείχη τοῖς ἀνδράσιν ἀλλὰ τοὺς ἄνδρας τοῖς τείχεσι.* Apertius etiam, ex quo praecipue cognoscere licet, quae fuerit tunc temporis Roma, Dionys. IV, 13. *οὗτος ὁ βασιλεὺς τελευταῖος ηὔξησε τὸν περίβολον τῆς πόλεως, τοὺς δύο τοῖς πέντε προσθεὶς λόφους, ὀρνιθευσάμενός τε, ὡς νόμος ἦν, καὶ τἄλλα τὰ πρὸς θεοὺς ὅσια διαπραξάμενος. προσωτέρω δὲ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τοῦ δαιμονίου· ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾷστα πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι· καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν, ᾧ διαγνώσεται, μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἔτι πόλις ἐστὶ καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις. εἰ δὲ τῷ τείχει τῷ δυσευρέτῳ μὲν ὄντι διὰ τὰς περιλαμβανούσας αὐτὸ πολλαχόθεν οἰκήσεις, ἴχνη δέ τινα φυλάττοντι κατὰ πολλοὺς τόπους τῆς ἀρχαίας κατασκευῆς, βουληθείη μετρεῖν αὐτὴν κατὰ τὸν Ἀθηναῖον κύκλον τὸν περιέχοντα ἄστυ, οὐ πολλῷ τινι μείζων ὁ τῆς Ῥώμης ἂν φανείη κύκλος.* Eadem mensura utitur et IX, 68.; quam vere et convenienter amplitudini Urbis, nemo hodie erit qui dicat, nisi quod aggeris spatium sextam septimamve esse posse muri, quem duximus, partem facile apparet. Quem quum Strabo sex fere, Dionysius

septem stadiorum fuisse dicant, non multum differre videtur omnium partium summa a circuitu Athenarum, quem Thucydides XLIII stadiorum esse ait lib. II, 13. Copiose de ambitu muri Serviani egit Nibbyus [69]); ego, ne totam rem omisisse dicar, summatim computasse satis habeam, sentiens me rationibus accuratius ineundis imparem esse, quod ne tum quidem auderem, si Romae scriberem metirique passibus spatia locorum liceret. Neque diutius commorabor in explicando quamvis memorabili loco Plinii III, 5, 9. *Moenia eius collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno conditae DCCCXXVII pass. XIII M. CC. Complexa montes septem ipsa dividitur in regiones quatuordecim, compita Larum CCLXV. Eiusdem spatium mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quae sunt hodie numero triginta septem, ita ut Duodecim semel numerentur praetereanturque ex veteribus septem, quae esse desierunt, efficit passuum per directum XXX M. DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris Praetoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paullo amplius septuaginta millia passuum.* In his quum multi offendissent, mirantes ambitum Urbis XIII M., quum VII non amplius millia Servianis moenibus tribui posse viderentur, egregie rem expedivit Bunsenius (I. p. 192 sqq.) ostendens, non circuitum muri dicere Plinium, sed ambitum urbis ab Augusto in XIV regiones divisae. Triplici enim ratione magnitudinem urbis exponit: primum ex ambitu; tum directis radiorum instar ad singulas portas lineis; postremo metiens per vicos viarum flexus ad extrema aedificiorum, quae ultra muros portasque longe processerant. Unum fortasse miraberis, quod XXXVII numeret Plinius portas, quem fuisse antiqui muri numerum nemo sibi persuadebit. Sed praeterquam quod in numerorum signis saepissime peccatum est a librariis, animadvertendum est, Plinii tempore de Servii muro paucas superfuisse videri reliquias, quem totum iam aedificiis occupatum et inclusum sua etiam aetate testatur Dionysius: sed longe exspatiantibus, ut Plinius

---

69) Mura di Roma. p. 85 sqq.

ait, ultra antiqua moenia tectis, credibile est, multo plures viarum transitus factos; neque enim iam suburbia, sed ipsa extra muros Urbs erat.

Caeterum refectos muros priscis temporibus non semel narrat Livius: primum post captam Urbem. VI, 32. *tantum abesse spes veteris levandi foenoris, ut tributo novum foenus contraheretur in murum a censoribus locatum saxo quadrato faciundum.* Deinde a. CCCCI. lib. VII, 20. *reliquum anni muris turribusque reficiendis consumtum.* et bello Punico secundo, lib. XXV, 7. *creati sunt quinqueviri muris turribusque reficiendis.* Post illum ab Hannibale terrorem nulla iam muniendae Urbis cura fuit, lateque patebant undique aditus, ut iure quodam, ab Aureliano demum muros Romae circumdatos esse, affirmet Zosimus I, 49. *ἐτειχίσθη δὲ τότε ἡ Ῥώμη πρότερον ἀτείχιστος οὖσα.* Multi sunt praeter hunc scriptores, qui de ingenti Aureliani incepto, a Probo demum perfecto, prodidere [70]; nobis vero in disceptationem venit unus tantum locus Vopisci, incredibilia, si quis unquam, tradentis. Nam postquam Aurel. 21. adhibito senatus consilio Imperatorem muros dilatasse dixerat, iterum de eodem opere scribit cap. 39. *muros urbis Romae sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum eius ambitus teneat.* — Tam portentosae magnitudinis fuisse Romam, nemo unquam fuit qui crederet praeter Nibbyum: is enim Aurelianum tanto circuitu muros fecisse, Honorium vero contraxisse in brevius ambitum atque eo, quem hodie videmus, ductu moenia nova Romae circumdedisse, serio affirmavit. Quod quam sit ineptum iis rationibus demonstravit Bunsenius, quibus quod addam non habeo. Enimvero quum trans Tiberim ante saeculum IX Romam amplificatam non esse certissimum sit et confessum, vide, quo tandem in agrum excucurrisset urbs, cuius XVI circiter millium diametros esset. Bovillas puto et Albanum, nisi Tusculum adeo, complexus est Aurelianus effecitque, ut feriae Latinae in Urbe iam agerentur, Tiburque et Aricia inter suburbia essent. Itaque iure

70) Aurel. Vict. Caes. 35. Eutrop. IX, 15. Oros. VII, 23. Hieron. t. I. p. 481 Ronc. Cassiod. Chron. t. II. p. 214.

quaesivit Bunsenius, quae tandem causa esse potuerit tam prodigiosi muri; qui fieri potuerit, ut nulla neque nunc sint, neque medio aevo eius fuerint reliquiae; neque enim murorum tantum nulla qualiacunque supersunt vestigia, sed ne aedificiorum quidem, quae septa istis muris fuerint, quae nisi copiosa et magnifica erant, quid tandem insaniit Aurelianus, ut agrum iam cingeret moenibus? Deinde id quoque recte obiectum est Nibbyo, de castris Praetoriis, quin muri pars fuerint, nihil esse dubitationis; quae si in media fuissent urbe, non pepercisset unquam tribus murorum lateribus Constantinus, nec destruxisset eam tantum partem, quae interior in urbem versa erat. Itaque totam istam opinionem ab eo, quod fieri potuerit, excludamus et in Vopisci verbis vitii aliquid inesse statuamus necesse est. Ac vulgo quidem pro *quinquaginta* legendum putant *quindecim*. Ego quamquam similiter saepius erratum esse a librariis non nescio [71]), tamen quominus *quindecim* reponam impedit, quod ne sic quidem congruit numerus cum eo quem novimus murorum circuitu, cui plus quam XI millia tribui posse non videntur. Quare aliud genus vitii in Vopisco esse suspicor, qui non passuum sed pedum millia numerarit. Nam quum mille passus aequent fere pedum IV M. D., si undecies eundem numerum posueris, subducto calculo habebis summam XLIX M. D., quo nihil potest propius ad Vopisci numerum accedere. — Nascitur alia difficultas e mensura, quam murorum non Aureliani iam, sed Honorii fuisse mensore Ammone geometra, scribit Olympiodorus ap. Phot. Bibl. 80. p. 63 Bekk. *τὸ δὲ τεῖχος τῆς Ῥώμης μετρηθὲν παρὰ Ἄμμωνος τοῦ γεωμέτρου, καθ᾽ ὃν καιρὸν Γότθοι τὴν προτέραν κατ᾽ αὐτῆς ἐπιδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι καὶ ἑνὸς μιλίου διάστημα ἔχον ἀπεδείχθη.* Hic ego lubenter amplecterer Nibbyi coniecturam pro *κά* scribentis *ιά* adsentiente Bunsenio (I. p. 678.); modo scrupulum aliquis mihi eximat, iniectum a Martino Polono (circ. a. MCCC.), qui in Chronico scribit I, 4.: *In circuitu vero eius sunt milliaria XXII, praeter Trans-*

---

71) In Plinii quoque loco I. vet. Dalec. pro XIII M. praebebat XXX M.

tiberim et civitatem Leoninam: cum quibus dicitur habere XLII milliaria. Hanc ego difficultatem non habeo quomodo tollam, nisi apud utrumque passus vulgares, non geometricos Romanorum dici credamus. Nam Honorii muros esse, quos hodie videmus, ipsa docet dedicatio portae Tiburtinae vulgo dictae (S. Lorenzo): horum vero circuitum, omissa etiam Transtiberina regione, non esse XXII millium, res ipsa declarat. — Caeterum mirari me non diffiteor, nullam hodie superesse portam, quae Aureliano adscribi possit. Quamquam enim tertiam prope partem muri deiecisse Totilam scio [72]), et portas saepius refectas esse credibile est, utpote quae maxime peterentur hostili impetu; tamen aliquot hodieque restant, quas Honorii esse aut nomen inscriptum declarat, aut structurae similitudo arguit. Qua in re non id solum admirabile, iis potissimum portis pepercisse hostes, verum etiam, Honorii aetate CXXV post Aurelianum annis novis portis Urbi opus fuisse.

De portarum sive Aureliani sive Honorii nominibus.

Quas antiquioris Urbis portas fuisse diximus, eas ex solis scriptorum significationibus cognovimus; nunc autem quae nominandae sunt, aut ipsae adstant oculis conspiciendae, aut testatae sunt proximorum abhinc saeculorum memoria. Quare de his paullo aliter instituenda est quaestio, quandoquidem minus ambigitur, quibus locis fuerint portae, quam quae singulis, quas esse videmus, tribuenda sint nomina antiqua. Ac pleraque quidem nomina quamvis longo aevo non interierunt, et quamquam tribus exceptis omnes hodie portae mutatis nominibus appellari consueverunt, quin etiam quatuor, desertis antiquis, iuxta sint factae, tamen et situs prior facile agnoscitur, et ipsa antiqua nomina ne vulgo quidem ignota sunt. Licet igitur de plerisque breviter dicere, recensendo potius, quo ordine sequantur, quam quaerendo qui ordo fuerit.

Numerum primum quod attinet, nihil de eo ante Belisarii aetatem proditum est; illo autem tempore quatuordecim ma-

72) Procop. III, 22. *τοῦ μὲν οὖν περιβόλου ἐν χωρίοις πολλοῖς τοσοῦτον καθεῖλεν, ὅσον ἐς τριτημόριον τοῦ παντὸς μάλιστα.*

xime fuisse portas narrat Procop. Goth. I, 19. *ἔχει μὲν τῆς πόλεως ὁ περίβολος δὶς ἑπτὰ πύλας καὶ πυλίδας τινάς.* Hic primum quaeritur, quid sit discriminis inter *πύλην* et *πυλίδα?* Nam amplitudinem solam non spectari in hac distinctione, propterea statuendum, quod inter *πυλίδας* Pinciana quoque nominatur, quam a caeteris non multum differre puto. Videntur potius *πύλαι* vocari, ex quibus exibant viae insigniores; *πυλίδες*, quibus ad compendium itineris patefactis secundariis viis ad illas et loca circum iacentia perveniretur. Atque ita de Pinciana Nibbyum quoque existimasse video (p. 317.). Illae autem XIV portae quae fuerint, totam Urbem circumeundo iam cognoscemus. Quod iter ita instituere praestat, ut, quod alii quoque fecerunt, ab eo loco proficiscamur, ubi in Campo Martio flumini murus commissus fuit.

Nam in illis locis quum accessus ad urbem esset perfacilis, non satis Aureliani tempore in fluvio munimenti videri poterat, nisi secundum ripam murus etiam campum patentem tueretur. Procop. Goth. I, 19. p. 94 Dind. *ὅντινα δὲ τρόπον Ῥωμαῖοι τοῦ ποταμοῦ ἐφ᾽ ἑκάτερα τὸ τῆς πόλεως τεῖχος ἐδείμαντο, ἐρῶν ἔρχομαι. πολὺς μὲν ὁ Τίβερις παραῤῥέων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ περιβόλου ἐφέρετο τῇδε. ὁ δὲ χῶρος οὗτος, ἐφ᾽ οὗ ὁ περίβολος κατὰ τὸν ῥοῦν τοῦ ποταμοῦ ἐνέχει, ὕπτιός τε καὶ λίαν εὐέφοδός ἐστι.* cf. 22. p. 107. Idem tamen negligentius secundum fluvium muros fuisse factos scribit II, 9.: *καὶ ἦν γάρ τις αὐτῷ ἐπίμαχος μάλιστα μοῖρα, ᾗ τοῦ Τιβέριδος ἡ ὄχθη ἐστὶν, ἐπεὶ ταύτῃ οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι θαρσοῦντες τοῦ ὕδατος τῷ ὀχυρώματι τὸ τεῖχος ἀπημελημένως ἐδείμαντο.* In eo muro praeter duos angustos in fluvium exitus, quod genus posterularum vel posternarum medio aevo nominibus appellari solet, una sola fuit porta ante pontem videlicet Aelium, contra Mausoleum Hadriani. Eam Aureliam antiquo nomine dictam esse ab eodem discimus Procopio, qui tamen ipse iam noverat nomen recentius ab aede S. Petri petitum. I, 19. *διὸ δὴ ἄλλας δύο τῆς πόλεως πύλας ἐνοχλεῖσθαι πρὸς τῶν πολεμίων ξυνέβαινε, τήν τε Αὐρηλίαν, (ἣ νῦν Πέτρου τοῦ τῶν Χριστοῦ ἀποστόλων κορυφαίου, ἅτε που πλησίον κειμένου, ἐπώνυμός ἐστι) καὶ τὴν*

ὑπὲρ τὸν ποταμὸν Τίβεριν. cap. 22. p. 106. Ἀδριανοῦ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος τάφος ἔξω πύλης Αὐρηλίας ἐστὶν, ἀπέχων τοῦ περιβόλου ὅσον λίθου βολὴν κ. τ. λ. cf. p. 108. c. 28. p. 131. ὀλίγους δέ τινας διὰ πύλης Αὐρηλίας ἐς Νέρωνος πεδίον ἐκέλευεν ἰέναι. Apud Anonymum Einsiedlensem [73]), saeculi noni hominem, porta S. Petri vocatur, totumque Aureliae nomen tunc intercidisse videtur; in quo admirabile sane est, hunc veterem in Ianiculo portam Aureliam hoc ipso nomine appellare, quum a Procopio nunquam non Pancratiana (P. di S. Pancrazio) dicatur; contra Procopium nosse nomen Aureliae novae, ignotum Anonymo. Recte autem dici Aureliam, quae ad pontem Aelium fuit, argumento est, quod ea regione perque pontem, ut videtur, Aelium strata erat via Aurelia nova, cuius in lapidibus inscriptum est nomen [74]). Hodie nulla est, adiecto urbi Vaticano. Caeterum non praetereundum est, ante Procopii tempora trans Tiberim munitum esse Mausoleum Hadriani, ductis ab eo ad fluvium utrinque muris, quo propugnaculum esset et ponti et portae. Procop. I, 22. p. 106. τοῦτον δὴ τὸν τάφον οἱ παλαιοὶ ἄνθρωποι (ἐδόκει γὰρ τῇ πόλει ἐπιτείχισμα εἶναι) τειχίσμασι δύο ἐς αὐτὸν ἀπὸ τοῦ περιβόλου διήκουσι μέρος εἶναι τοῦ τείχους πεποίηνται. ἔοικε γοῦν πύργῳ ὑψηλῷ πύλης τῆς ἐκείνῃ προβεβλημένῳ. Quod quo tempore factum sit, nescimus; nisi ab Aureliano minime crediderim.

Proxima fuit Flaminia porta, circa eum locum, ubi hodie est Porta del Popolo, sed propior radicibus collis hortorum sive Pincii, siquidem difficilem ad eam fuisse accessum scribit Procop. Goth. I, 23. p. 109. οὐ μὴν οὐδὲ πύλης Φλαμινίας ἀπεπειράσαντο, ἐπεὶ ἐν χώρῳ κρημνώδει κει-

73) Duo sunt praecipui cognitionis de portis Aureliani sive Honorii fontes: Procopius et Anonymus Einsiedlensis, quem primus edidit Mabill. Vet. Anal. p. 359 sqq., multo vero accuratius, perspecto rectius libelli instituto, vir de literis meritissimus, Gust. Haenel (*Archiv. f. Philol. u. Paed.* B. V. H. 1. p. 113 sqq.). Cf. Bunsen, *Beschr. d. St. R.* t. I. Praef. p. XIV sq.

74) Duas fuisse vias Aurelias, veterem et novam testatur lapis ap. Gruter. CCCCLVII, 6. ubi Popilius quidam dicitur *curator viar. Aureliae veteris et novae, Corneliae et Triumphalis.* Cf. Bunsen. t. II. A. p. 9.

μένη οὐ λίαν ἐστὶν εὐπρόσοδος. — Post Flaminiam portam sequuntur vastissimae Pincii substructiones, operis reticulati, quod ipsum argumento est, eam partem antiquiorem esse Aureliano, qui validissima illa mole pro muro usus sit. Memorabile est, quem hodie videre est murum pronum extrinsecus, quasi ruinam daturum, ante Belisarii iam tempora a monte revulsum fuisse, et, quemadmodum hodie Muro torto vocatur, tunc murum fractum vel ruptum appellatum esse [75]. — Proxima est porta Pinciana, non recens, sed Anonymi iam aetate clausa saxisque obstructa, quam inter *πυλίδας* numerari vidimus. Atque illo quidem tempore non Pincianam solum, sed Belisariam quoque vocatam esse, Nibbyi (p. 248.) et Bunsenii (p. 655.) est sententia. Ita sane nunc legitur apud Procop. Goth. I, 18. *οὕτω τε διαφυγόντες ἐς τὸν Ῥώμης περίβολον ἦλθον, διώκοντές τε οἱ βάρβαροι ἄχρι ἐς τὸ τεῖχος ἵκοντο ἀμφὶ τὴν πύλην ἣ Βελισαρία ὠνόμασται νῦν.* id. cap. 22. *ταῦτα μὲν ἀμφὶ Βελισαρίαν πύλην ἐγένοντο.* Mihi vero reputanti, Pincianam nunquam a Procopio dici *πύλην,* sed *πυλίδα,* deinde praeter hos locos nusquam Belisariae portae fieri mentionem, Pincianae autem frequentissimam, postremo contra morem Procopii fieri, ut recentissime mutato nomine non addatur prius et antiquius, totum hoc Belisariae portae nomen suspectum est, ut in utroque loco corrigendum putem *Σαλαρία.* Eo enim a ponte Mulvio non minus fugisse Romanos credibile est. Atque ita Personam olim legisse manifestum est, qui in priore certe loco vertit *Salaria.* Quodsi propter verba *ἣ ὠνόμασται νῦν* tamen Belisariae nomen retinendum sit, non Pincianam, sed Salariam ita appellatam credere malim.

Quae proxime sequuntur portae, Salaria et Nomentana, de iis nulla est controversia; nam illa etiamnum eodem

---

75) Procop. Goth. I, 23. *ταύτης δὲ μεταξὺ τῆς πύλης καὶ τῆς ἐν δεξιᾷ ἐχομένης πυλίδος, ἣ Πιγκιανὴ ὀνομάζεται, μοῖρά τις τοῦ περιβόλου δίχα τὸ παλαιὸν ἀπὸ ταὐτομάτου διαιρεθεῖσα, οὐκ ἐξ ἐδάφους μέντοι, ἀλλ' ὅσον ἐς μῆκος τοῦ ἡμίσεος, οὐκ ἔπεσε μὲν οὐδὲ ἄλλως διεφθάρη, ἐκλίθη δὲ οὕτως ἐφ' ἑκάτερα, ὡς τὸ μὲν ἐκτὸς τοῦ ἄλλου τείχους, τὸ δὲ ἐντὸς φαίνεσθαι. καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸν περίβολον διεῤῥωγότα Ῥωμαῖοι τῇ σφετέρᾳ γλώσσῃ ἐκ παλαιοῦ καλοῦσι τὸν χῶρον.*

appellatur nomine; haec esse quidem desiit, cessitque portae Piae non procul ad laevam saeculo XVI factae; loci vero memoria non intercidit. Successerunt autem hae portae in vicem Collinae, unde et Salaria via et Nomentana olim exierant. — Inde paullulum progressi attingimus Castra Praetoria, quorum tria latera, longe ultra caeterorum moenium ductum excedentia, sed muris iuncta, intacta manserunt, quum Constantinus oppressis Praetorianis caetera castrorum dirueret. Zosim. II, 17. *τοὺς δὲ Πραιτωριανοὺς στρατιώτας ἐκτρίψας καὶ τὰ φρούρια τὰ τούτους ἔχοντα καθελών.* Itaque nunc etiam conspiciuntur porta decumana, in agrum versa, portaeque principales dextra et sinistra.

Hactenus nulla insignior distribuendis portarum nominibus obstitit difficultas; sed quae sequuntur post castra, tanta de iis est inter vv. dd. lis, tantaque sententiarum discrepantia, ut primum, quid hodie ibi sit portarum viarumque mihi exponendum videam, antequam veterum nominum mentionem facere audeam. Igitur propter sinistrum stantibus ante moenia latus castrorum, ubi porta fuit principalis sinistra, in ipso paene murorum angulo hodie conspicitur porta solitae magnitudinis et structurae, pariter atque Pinciana saxo partim quadrato partim latericio opere et ab ultima quidem temporum memoria obstructa, ut nemo unquam patuisse eam meminerit. Itaque vulgo porta clausa (P. chiusa) appellatur. Ulterius progredientibus proxima est porta S. Laurentii, dicta ab aede extra muros in via Tiburtina sita (S. Lorenzo fuori le mura). Eam inscriptam esse Honorii et Arcadii nominibus antea vidimus. Deinde aequale fere spatium emensi pervenimus ad splendidum aquae Claudiae monumentum, quod in usum portae cessit atque hodie porta Maior dicitur (Porta maggiore). Tres igitur sunt portae, quarum primae nemo unquam neque nomen neque usum prodidit; quodque admirabilius etiam est, ne Anonymus quidem Einsiedlensis, qui turres, propugnacula, posternas, fenestras denique diligentissime enumerat, neque oblitus est Pincianae quamvis occlusae, ullam eius fecit mentionem. Secundam (S. Lorenzo) idem Tiburtinam appellat; tertiam (P. maggiore) Praenestinam. Procopio an eadem Prae-

nestina dicatur, dubitari potest, quippe apud quem obscurior est locorum significatio. Scribit autem ita Goth. I, 19.: Γότθοι δὲ οὐχ οἷοί τε ὄντες ὅλον στρατοπέδῳ τὸ τεῖχος περιλαβέσθαι κύκλῳ ἓξ ποιησάμενοι χαρακώματα πέντε πυλῶν χῶρον ἠνώχλουν ἐκ τῆς Φλαμινίας ἄχρι ἐς τὴν καλουμένην Πραινεστίναν. et eod. cap. p. 96. Βελισάριος δὲ τὰ ἐς τὴν φυλακὴν τῆς πόλεως διεκόσμει ὧδε. πυλίδα μὲν αὐτὸς τὴν Πιγκιανὴν καὶ πύλην τὴν ταύτης ἐν δεξιᾷ εἶχεν, ἣ Σαλαρία ὠνόμασται. κατὰ ταύτης γὰρ ἐπίμαχός τε ὁ περίβολος ἦν καὶ Ῥωμαίοις ἐξιτητὰ ἐπὶ τοὺς πολεμίους ὄντα ἐτύγχανε. Πραινεστίναν δὲ Βέσσᾳ ἔδωκε. καὶ τῇ Φλαμινίᾳ, ἣ Πιγκιανῆς ἐπὶ θάτερά ἐστι, Κονσταντῖνον ἐπέστησε, τάς τε πύλας ἐπιθεὶς πρότερον καὶ λίθων μεγάλων οἰκοδομίᾳ ἔνδοθεν αὐτὰς ἀποφράξας ὡς μάλιστα κ. τ. λ. Tertium locum postea addam. Iam vero quaeritur, quae sint illae quinque portae, intra quas castra Gothi posuerint? Nam a Flaminia ad Praenestinam, quae hodie putatur esse (P. maggiore), non quinque numerantur sed septem: Flaminia, Pinciana, Salaria, Nomentana, Clausa, Tiburtina, Praenestina; ac si omiseris Pincianam, inter portas maiores non numeratam, tamen una porta amplius est. Nomentanam autem et Tiburtinam, quamquam a Procopio praeteritas, in illo quinque portarum numero inesse necesse est. Postremo eo redit loci ambiguitas, ut dubium sit, utrum portam clausam ad castra numero illo complexus sit Procopius, an eo iam tempore nulla fuerit. Itaque in diversissimas vv. dd. abierunt sententias. Plerique portam S. Laurentii, unde hodie exit Tiburtina via, Tiburtinam; portam Maiorem (P. maggiore) Praenestinam esse dixerunt, ubi etiam nunc est viae Praenestinae caput. Contra Fabrettius [76]), quum inter Nomentanam et Asinariam portam, ipsis exclusis, quatuor exiisse dicerentur viae: Tiburtina, Collatina, Praenestina et Labicana, singulis singulas adsignavit portas ita, ut clausam ad castra pro Tiburtina; S. Laurentii pro Collatina haberet. Praenestinae autem viae, quae inter militares fuit, ineptissime concessit an-

---

76) *De aquis et aquaeduct.* Graev. thes. t. IV. p. 1766 sqq.

gustum in muro exitum, non in portae sed ianuae stantibus ad perpendiculum postibus et liminis superioris recta linea factum. Postremo Labicanam eam statuit esse, quae Praenestina vulgo putatur (P. maggiore). A quo ita dissentit Nibbyus, ut, quum duo sint fornices portae Maioris, dextero Labicanam viam, sinistro Pranestinam exiisse statuat, Tiburtinam autem S. Laurentii esse. Huic portarum viarumque distributioni repugnare visa sunt, quae scribit Strabo V, 3. p. 237. *Εἶτα συμπίπτει (τῇ Λατίνῃ) καὶ ἡ Λαβικανὴ, ἀρχομένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἐσκυλίνης πύλης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Πραινεστίνη· ἐν ἀριστερᾷ δ' ἀφεῖσα καὶ ταύτην καὶ τὸ πεδίον τὸ Ἐσκύλινον πρόεισιν ἐπὶ πλείους τῶν ρ' καὶ κ' σταδίων, καὶ πλησιάσασα τῷ παλαιῷ Λαβικῷ, κτίσματι κατεσπασμένῳ, κειμένῳ δ' ἐφ' ὕψους, τοῦτο μὲν καὶ τὸ Τούσκουλον ἐν δεξιοῖς ἀπολείπει, τελευτᾷ δὲ πρὸς τὰς Πικτὰς καὶ τὴν Λατίνην.* Qui quum planissime dicat, Labicanam viam reliquisse ad laevam Praenestinam totumque campum Esquilinum, apparet, non potuisse eam ab Esquilina ad eandem cum Praenestina pervenire portam. Itaque Pialius [77]) in caeteris cum Fabrettio consentiens statuit, Praenestinam portam antiquitus fuisse portam S. Laurentii, porta Maiore exiisse viam Labicanam, porta clausa ad castra Tiburtinam: Collatinam a Praenestina deflexisse. Atque eam sententiam, adsentiente Bunsenio, cupide amplexus est Niebuhrius [78]), unice veram praedicans. Additur argumento a Strabone petito auctoritas Anastasii, referentis, Constantinum ecclesiae dono dedisse omnem agrum a porta Maiore ad viam Praenestinam; qui quidem ager nullus esse poterat, si ipsa Praenestina via (ut vulgo putatur) eadem porta exibat. Deinde ineptissime facturos fuisse Romanos, si viam Tiburtinam, quae Viminali porta (ante Aurelianum) exiret, inde ad portam S. Laurentii direxissent, non ad portam clausam, contra Vimi-

---

77) Pialii dissertationes, quum haec scriberem, mihi ad manus non erant nec magis editio Venuti, quam ille curavit; utendum erat iis, quae partim a me antea, partim ab aliis notata fuerant.

78) *Beschr. d. St. R.* I. p. 658.

nalem factam. — Ita quidem illi; quorum argumenta, ne temere adsentiamur, diligentius ponderemus.

Ac primum de Strabonis verbis videndum est, opportunissime negantis, per campum Esquilinum directam fuisse viam Labicanam, quo cum Praenestina ad laevam relicto ad dextram ipsa deflexerit. Apparet autem de regione viae nihil certi constitui posse, nisi exploratum sit, quousque patuerit campus Esquilinus. Ac priscis quidem temporibus dubium non est, quin tota illa planities, quae a iugo Esquilino in agrum vergeret, hoc nomine appellata sit. Eius latitudinem meridiem versus terminatam esse amphitheatro Castrensi ipsis regionis Esquilinae finibus testatum est [79]); a septemtrione finem ibi fuisse credibile est, qua mons Esquilinus Viminali colli confinis est. Fuit is locus praecipue sepulturae destinatus, non solum viliorum sed honestissimorum hominum, quod testantur sepulcra etiamnum ibi conspicua et omnium certissime verba Ciceronis Phil. IX, 7. At ibidem fuisse et illum locum, ubi inopum damnatorumque corpora aut sepelirentur communiter aut inhumata proiicerentur, notius est, quam quod demonstrari hic opus sit. Postquam tamen tam salubritati quam amoenitati Urbis consulens in ipsis his locis Maecenas magnificos paravit hortos (Horat. Sat. I, 8.), ab illa certe parte, quae sub aggere fuit propiorque portae Esquilinae [80]) omnis eiusmodi usus exclusus fuit. Nihilominus tamen non desiit campus Esquilinus tristia praebere ac foeda spectacula. Quemad-

---

79) Sequor hic vulgarem opinionem, amphitheatrum Castrense, a Notitia in regione V nominatum, id ipsum esse, quod partem nunc muri facit. Quamquam enim minime rem certam et exploratam habeo, immo suspectam admodum, tamen ea de re hic quidem quaerere non licet. Itaque fieri potest, ut suo loco de Labicana Praenestinaque via aliam etiam sententiam proferam; sed de portarum situ nihilominus nihil mutabitur.

80) Contra Urlichsius (*Beschr. d. St. R.* t. III B. p. 208.) statuit latius in dies exspatiantibus urbis tectis exiguum postremo proxime portam Collinam relictum esse locum, qui campus Esquilinus vocatus et in quo supplicia fieri solita sint. Cui sententiae adversantur, quae de solemni suppliciorum loco a me allata legis veterum scriptorum testimonia. Quare longe aliter institutis rationibus tollenda videtur difficultas, quam de finibus regionis Esquilinae parat Notitia. Et poterit fortasse tolli: verum haec est maioris operis altiusque repetenda quaestio, neque obiter a me instituetur.

modum enim priscis iam temporibus praecipuus hic suppliciorum locus fuisse videtur, in quo servis crux figeretur damnatique securi percuterentur, ita ad interitum usque imperii Romani, quin etiam post interitum in eodem loco supplicia fieri solita sunt. Testem habes primum Tacitum Ann. II, 32. *in P. Marcium consules extra portam Exquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.* Eundem locum significat XV, 60. (Plautius Lateranus) *Raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur.* Sueton. Claud. 25. *Civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit.* Huc pertinent etiam, quae de capite Galbae contumeliose habito et abiecto narrantur. Tacit. Hist. I, 49. *Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis contexit. Caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est.* Quod quo iure in campo Esquilino factum dicam elucebit e duobus aliorum scriptorum locis, Suet. Galb. 20. *Ab his* (lixis calonibusque) *Patrobii Neroniani libertus centum aureis redemtum eo loco, ubi iussu Galbae animadversum in patronum fuerat, abiecit.* Plutarch. Galb. 28. *ἔῤῥιψαν ἣ τοὺς ὑπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσιν. ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται.* Hoc quid sit nominis quaesitum est, affirmavitque Lipsius, sic dictum quia semitertio ab urbe milliario fuerit locus. In quo mirifice fallitur; nam ad quartum, ad sextum, caet. saepissime dici nemo ignorat; ad sestertium (lapidem) vero qui tandem dici poterat, quum in medio mille passuum spatio nullus staret lapis? Nos, qui sciamus locum, in quo damnati supplicio afficerentur, in campo Esquilino fuisse, ne minimum quidem dubitamus, quin corruptum sit nomen et corrigendum *ὁ δὲ τόπος Σεσσώριον καλεῖται.* Eum enim locum suppliciis destinatum fuisse ab extremae aetatis scriptoribus discimus. Excerpta Valesii e libris Chron. ad calc. Ammian. Marc. p. 310 Bip. *Itaque Theodorus, filius Basilii, Odoin comes eius insidiabatur*

ei (Theoderico). *Dum haec cognovisset, in palatio, quod appellatur Sessorium, caput eius amputari praecepit.* Schol. Cruq. ad Hor. Epod. 5, 100. *Esquilinus mons Romae ex septem montibus. hinc Esquilina porta Romae dicitur ad Sessorium, ubi certus erat locus sepulcrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda aut canibus proiicienda.* Id. ad Sat. I, 8, 11. *in Esquiliis publicis sepulti sunt extra portam, in qua est Sessorium.* Qui quamquam de aetate erravit portamque Esquilinam Servii cum porta Aureliana commutavit, tamen locum sepulturae suppliciorumque ad Sessorium agnoscit. Quod ubi fuerit nemini ignotum est, qui mediocriter topographiae Romanae peritus sit. Constat enim ibi nunc esse Basilicam Sanctae Crucis. Anastas. in vita Silvestri p. 45 Blanch.: *Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in palatio Sessoriano, ubi etiam de ligno sanctae crucis domini nostri Iesu Christi posuit* etc. Ea igitur basilica quum sit iuxta amphitheatrum Castrense, apparet, eo usque pertinuisse campum Esquilinum, siquidem ad Sessorium in campo Esquilino fiebant supplicia. Iam vero intelligitur, eam viam, quae perveniret ad portam Maiorem, non habuisse a laeva campum Esquilinum, sed ipsum secuisse campum, quod de Labicana diserte negat Strabo. Itaque suspicari fortasse licebit viam a monumento Mariano (Trofei di Mario) ad portam directam esse veterem Praenestinam, Labicanam autem ea olim regione fuisse, qua hodie est Via di Santa Croce. Eius in exitu hodie nulla est porta, quare credibile est, Aurelianum vel Honorium, quum muros facerent, ne nimium augeretur portarum numerus, Labicanam viam ad eandem portam deductam esse, qua exiret Praenestina, quae inter praecipuas fuit militaresque vias.

A Strabone igitur nihil est impedimenti, quominus portae Maiori vindicemus nomen Praenestinae, quo ab Anonymo planissime appellatur. Videamus iam Anastasius quid obloquatur, qui si vere tradidit, Constantinum aedibus SS. Petri et Marcellini dono dedisse agrum inter portam Sessorianam et viam Praenestinam, fieri nullo modo potest, u ex ipsa illa porta haec via exierit. At vero hic graviter com-

pellandus est non Niebuhrius, sed qui, quae ille Pialio confisus schedis suis mandaverat, absque ullo examine typis excudenda curavit. Nam apud Anastasium in vita Silvestri (t. I. p. 49 Blanch.) ita legitur: *omnem agrum a porta Foforritana via itineraria usque ad viam Latinam ad montem Albium.* Tres sunt levioris notae codices Parisienses (notante Fabrottio), Regius, Mazarinus et Thuaneus unus, conspirantes ubique, ut unum potius sed trigeminum codicem dixerim, in quibus est: *omnes agros a porta Sessoriana usque ad viam Praenestinam et usque ad viam Latinam et usque ad montem Gabum.* Idem Fabrottius in cod. Freheri ita scriptum invenit: *porta Sensuriana usque ad viam Praenestinam, a via Latina ad montem Gabium.* Praeter haec ex vetustissimis Italorum exemplaribus nihil ab Holstenio et Schelestratio varietatis notatum reperies; neque in codice Velseri de Praenestina via quidquam. Caeterum ne portae quidem nomen certum est, quamquam in Vels. quoque est *Sessoriana,* in Thuan. II. *Sororiana.* Ad viam Latinam vero attinere donationem argumento est ipsum montis nomen, qui modo scribitur *Albius*, modo *Gabus* vel *Gavus,* vel *Galbius*, vel denique *Gabius.* Enimvero dubitari vix potest, quin intelligendus sit *mons Albanus*, qui nunc dicitur Cavus (Monte Cavo); atque huic vicina via Latina; remotissima Praenestina.

Vides quam gravibus auctoribus portam Praenestinam de loco suo deiecerint, quam restitutam iam dicerem, nisi restaret quaedam de Tiburtina dubitatio. Incredibile enim visum est Niebuhrio, viam Tiburtinam, quae exierit porta Viminali, directam fuisse ad portam S. Laurentii, patente contra ipsam Viminalem ad castra porta; itaque hanc Tiburtinam esse oportere. Postea demum, hostium metu numero portarum imminuto, viam Tiburtinam per portam S. Laurentii (quae eo usque Praenestina fuerit) ductam, Praenestinam autem viam eodem tempore ad portam Maiorem directam esse, quae porta (Labicana prius dicta) exinde Praenestina vocari coeperit, priori Praenestinae (S. Laurentii) Tiburtinae nomine indito. In quo id ante omnia admiror, quid causae fuerit, ut mutata Tiburtinae viae regione etiam Praenestina via alio dirigeretur; quasi non potuerint am-

hac sociali foedere ex eadem exire porta. Nihilominus, si clausam ad castra portam pro Tiburtina habeas, quid de porta S. Laurentii, media inter eam et Maiorem, quam Praenestinam diximus, futurum sit, nescio. Nam Collatinae viae, haudquaquam memorabili tam insignem amplamque portam datam esse, nulla tibi suadela persuaderi patieris. Quod quum male me haberet, coepi quaerere, ubi tandem scriptum esset, viam Tiburtinam antiquitus Viminali porta exiisse, et quum nusquam quidquam significatum viderem, mirabar, de ipsa porta, ad quam pervenerit frequentissimarum militariumque viarum una, tantum apud scriptores esse silentium, ut, nisi Strabo et Festus memoriam eius servassent, totum nomen ignoraremus. Itaque circumspicienti mihi, num quid de veteri Tiburtinae viae ductu significatum esset, opportune se obtulit lepidissima illa fabula, quum tibicines Roma Tibur secessisse et festivissima fraude in Urbem reducti esse narrantur. Liv. IX, 30. *Tibicines, quia prohibiti a proximis censoribus erant in aede Iovis vesci, quod traditum antiquitus erat, aegre passi, Tibur uno agmine abierunt: adeo ut nemo in Urbe esset, qui sacrificiis praecineret. Eius rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti primum accitos eos in curiam hortati sunt, uti reverterentur Romam: postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos adgrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa invitant et vino, cuius avidum ferme genus est, oneratos sopiunt: atque ita in plaustra somno vinctos coniiciunt ac Romam deportant. nec prius sensere, quam plaustris in Foro relictis plenos crapulae eos lux oppressit.* In his quidem nulla fit neque viae, neque portae, per quam introierint, mentio, nisi quod Tiburtina via rediisse sponte intelligitur. Egregie igitur promeritus est Ovidius, qui, qua parte turba Urbem intraverit, nominatim scribit Fast. VI, 677.

Iamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
Et mane in medio plaustra fuere Foro.

En tibi Esquilinam portam, patentem Tiburte venientibus, non

Viminalem, quam propterea taceri a scriptoribus apparet, quod nulla insignior via inde exibat; atque hinc etiam factum videtur, ut quae in Aureliani moenibus contra eam esset facta, clauderetur, quippe quae necessaria minus esset. Quod vero Anonymus ne clausam quidem commemorat, id cur omissum sit, nescimus; licet tamen suspicari, illo tempore aedificiorum aliquid praestructum fuisse quo tota tegeretur; neque enim turribus utrinque, ut caeterae, munita est. — Strabo autem quod Tiburtinae inter vias ex Esquilina porta exeuntes mentionem non fecit, minime mirum. Scilicet non id agit, ut omnes enumeret vias, sed Latinam describens, quae huic iungantur enarrat: eae igitur sunt Labicana et Praenestina, quarum altera ad Pictas in Latinam exibat, altera Anagniae.

Iam defunctus poteram videri omni dubitatione, nisi rursus in contentionem me vocaret Urlichsius, portae Praenestinae locum e Vivarii situ definiens. Nempe Vivarium, ubi alerentur bestiae in amphitheatro exhibendae, prope portam Praenestinam extra muros fuisse narrat Procopius Goth. I, 22. p. 106 Dind. 23. p. 111. Id vicinum fuisse amphitheatro Castrensi (ad portam Maiorem, Praenestinam) non inepte statuit Nardinus, quem secuti sunt Nibbyus et Canina [81]). Urlichsius autem affirmat, per omne medium aevum ad finem usque saeculi XVI eum locum, qui est post thermas Diocletiani inter aggerem et castra Praetoria, Vivarii nomine appellatum esse (il Vivariolo); quod testatum sit scriptis publicis priorumque astygraphorum memoria [82]). A quo primum exspecto, ut ipsa illa publicorum scriptorum monumenta proferat; qui toties deceptus nemini iam fidem habeam, nisi certos exhibeat testes. Deinde quum inter aggerem et castra locus Vivarii nomine

---

81) Nardini, *Roma ant. ed. Nibby.* t. II. p. 17. Nibby, *Mura di Roma.* p. 357. Canina, *Indicaz. topogr.* p. 106. 111.

82) *Beschr. d. St. R.* III. B. p. 342. Ibidem scriptum est, portam S. Laurentii ab Aureliani inde aetate per omne aevum antiquum Praenestinam esse vocatam: „Denn wenn gleich das ganze Alterthum seit Aurelian hindurch die Porta S. Lorenzo den Namen Praenestina führte, so nennt doch schon der Anonymus die Porta Maggiore so.“ Id velim mihi contingat scire, apud quem veterem scriptorem, praeter Procopium, non dico situs portae definiatur, sed ipsum nomen legatur?

appellatus dicatur, miror qui pertinuerit iste ad portam S. Laurentii (quam pro Praenestina ille habet). Nam ad ipsam portam fuisse illud, cuius Procopius meminit, Vivarium, docent ipsius verba: *ἀμφὶ πύλην Πραινεστίναν ἐπὶ μοῖραν τοῦ περιβόλου, ἣν Ῥωμαῖοι Βιβάριον καλοῦσι.* quibuscum cf. p. 112. ubi patefacta porta in prorumpentes e Vivario hostes impetum facit Belisarius. Postremo quamquam scio Marlianum et Panvinium testari, illum inter aggerem et castra campum Vivarium sua aetate dici, ne ei quidem rei multum tribuendum puto; constat enim ante Panvinium vulgari opinione ipsa castra Praetoria pro Vivario habita et Vivarioli nomine appellata esse [83]). — Ne vero quidquam praetermisisse videar, expendenda est etiam lapidis antiqui inscriptio [84]), in qua dicuntur praefecti cohortium Praetor. cum custode Vivarii pro salute Gordiani posuisse Dianae statuam. Is lapis a Nibbyo dicitur repertus esse prope aggerem; a Canina de amphitheatro Castrensi scribente „in quelle vicinanze". Incertum igitur est, quo loco fuerit deae simulacrum; sed etiamsi ad ipsa castra positum fuisset, minime mirarer, quandoquidem a praefectis cohortt. Praett. simul cum custode Vivarii dedicatum est. Praetorianorum vero militum fuisse Vivarium, et tamen ad portam Maiorem potuisse esse, qui negent illi, quibus ipsum amphitheatrum Castrense in eodem putatur esse loco?

Quae quum ita sint, nihil video esse causae, cur mutata portarum nomina viarumque regiones credamus; sed iisdem potius nominibus utamur, quae relata sunt et testata ab Anonymo Einsiedlensi: ut Tiburtina fuerit porta S. Laurentii, Praenestina porta Maior. De Labicana porta nemo unquam ante Fabrettium quidquam audivit.

Ultima haec fuit nobis in explorandis portarum locis aerumna: hinc facilis labor, reliquis portis aut etiamnum superantibus, aut scriptorum memoria testatis. Prima post Praenestinam, ubi transieris amphitheatrum, Castrense quod vocatur,

---

83) Lucio Fauno *delle antichità di Roma.* p. 16 b. Andreas Fulvius, *de Urb. antiqvit.* p. 25.

84) Almeloveen, *Fast.* p. 620. Nibby *ad Nard.* t. II. p. 18. Canina, *Ind. top.* p. 111. Orelli, *Inscr.* n. 22.

est Asinaria, nunc quidem clausa, facta iuxta eam, sed paullo propius amphitheatro porta Lateranensi (P. S. Giovanni). Ei serie proxima fuit, quae Metrovia appellatur ab Anonymo, aliis Metronis, vel Metronii [85]). Ibi hodie nulla est; nam fornicem illum, per quem in urbem influit nunc aqua Crabra (Marrana), inconsultius a Nibbyo pro porta Metronis haberi, recte monuit Bunsenius non negans tamen, circa eum locum ipsam fuisse. Ulterius progressi pervenimus ad portam Latinam nunc clausam, brevique spatio interiecto ad portam Appiam hodie P. S. Sebastiano. Post eam, paullo ante munimentum loci recentius factum (Bastione di S. Gallo) conspicimus portae fornicem columnis ornatum, epistylio lapidis Albani superiniecto. Eam Ardeatinam portam fuisse verissime Nibbyus autumat. Sequitur denique ultima cis Tiberim porta Ostiensis (P. S. Paolo), ab Honorio, cuius inscriptum nomen vidit saeculo XV Poggius Flor. [86]), non facta quidem sed restituta. Meminit eius Ammian. Marcell. XVII, 4. Naeviae portae in vicem prolatis moenibus successisse apparet. Proxime eam muro iunctum est sepulcrum C. Cestii in pyramidis speciem factum. Inde murus, ad Tiberim ubi pervenit, secundum ripam ad eum locum ductus fuit, qua in dextra fluminis ripa murus a Ianiculo descendens fluvio commissus fuit. Hodie in laeva ripa non pauca huius ductus supersunt vestigia, licet recentioris operis muri videantur esse.

Trans Tiberim autem non idem fuit, qui hodie murorum tractus, sed desinente circa vineam Caesarinianam (Vigna Cesarini) citeriore muro, contra eum locum principium fuit ulterioris. Ibi non procul a flumine fuit porta Portuensis, XVII demum saeculo destructa. Inde ductu vestigiis quamvis exilibus testato adscendebat murus ad summa montis Ianiculi, ubi porta fuit Aurelia, nomen adepta a via Aurelia vetere, hodie P. S. Pancrazio, quo nomine Procopium iam usum esse, Anonymum autem vetere Aureliae, antea dixi. Ab eo loco rursus ad fluvium murus descendebat, desinens contra eum ad-

85) V. Nibby, *Mura di Roma*. p. 365.
86) Nibby l. l. p. 287.

versae ripae locum, in quo principium fuit citerioris muri, haud procul ab aedibus Farnesinis (Palazzo Farnese). In hac muri Transtiberini parte haud procul a flumine traditur fuisse porta Septimiana. Eam ab Anonymo non commemorari, sed ab Aurelia ad ipsum Tiberim nulla patente porta moenia duci, miratus est Bunsenius (I. p. 668.); manifestum tamen esse, portam hic necessario fuisse. Equidem, quamquam Anonymi auctoritatem habeo minime suspectam, tamen graviorem etiam exhibeam testem Procopium, qui nullam ibi locorum fuisse portam haud obscure docet. Nam postquam sex agminibus inter portam Flaminiam et Praenestinam consedisse Gothos narravit, septima eos castra in campis Neronis (Vaticanis) posuisse dicit I, 19.: *χαράκωμα δὴ ἕβδομον Τιβέριδος ἐκτὸς ἐν Νέρωνος πεδίοις ἐπήξαντο, ὅπως σφίσιν ἡ γέφυρα* (pons Milvius) *τῶν στρατοπέδων ἐν μέσῳ εἴη. διὸ δὴ ἄλλας δύο τῆς πόλεως πύλας ἐνοχλεῖσθαι πρὸς τῶν πολεμίων ξυνέβαινε, τήν τε Αὐρηλίαν (ἣ νῦν Πέτρου — ἐπώνυμός ἐστι) καὶ τὴν ὑπὲρ τὸν ποταμόν.* Hanc trans Tiberim portam esse Aureliam veterem sive Pancratianam, discimus e cap. 23. *Ἐς μέντοι πύλην τὴν ὑπὲρ ποταμὸν Τίβεριν, ἣ Παγκρατιανὴ καλεῖται, δύναμις τῶν πολεμίων ἐλθοῦσα οὐδὲν ὅ τι καὶ ἄξιον λόγου ἔδρασε, χωρίου ἰσχύϊ.* unde clare apparet tertiam inter Aureliam et Pancratianam non fuisse illo tempore portam. Nihilominus nunc etiam arcus, qui est in exitu duarum viarum (Via di S. Maria della Scala et Via della Lungara) porta Septimiana vocatur, et fuisse ibi portam eius nominis diserte scribit Spartianus Sever. 19. *Opera publica eius exstant Septizonium et thermae Severianae. Eius denique etiam ianuae in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quarum forma intercidens statim usum publicum invidit.* Haec Spartiani verba quamvis inexplicabilia omnes ad Bunsenium usque topographi citare satis habuerunt: is solus sibi explicare visus est vertens: „von ihm sind auch jene Pforten (ianuae) in der Transtiberinischen Region am Thor seines Namens, deren hemmendes Aussehen sogleich den Eindruck machte, als wären sie mit Missgunst gegen den öffentlichen Gebrauch

angelegt.“ (I. p. 644.) Hac ego de interpretatione ne quid gravius dicam, non tamen reticere possum, hunc in modum neque Latine neque Germanice quemquam unquam locutum esse, et quum Spartiani verba explicari non posse videam, multo minus me Bunsenii interpretationem intelligere. Enimvero quid sit *forma intercidens* non minus perspicuum est et manifestum, quam in Spartiani verbis aliquid esse vitii. Nimirum formae dicuntur aquarum canales ipsique aquae ductus, usu frequentissimo; neque dubium videri potest Spartianum de aquae ductu in balnei usum facto scribere, qui vixdum exstructus facta ruina usum balnei ademerit sive inviderit. Quare olim verba transponenda putabam atque ita restituendum: *Opera publica eius exstant Septizonium et thermae Severianae, quarum forma intercidens statim usum publicum invidit. Eius denique etiam ianuae* etc. Sed praeterquam quod thermae Severianae a Notitia in regionis primae finibus itemque in epilogo nominantur [87]), nec credibile est in illa aquarum ubertate novam a Severo adductam eo esse, ne sic quidem intelligitur, quae fuerint illae trans Tiberim ianuae, dignae, quae inter publica Imperatoris opera nominarentur. Praeterea portam ipsam a Septimio factam quis credat, quum neque fuerit tum istis in locis murus, et factum ab ipso inauditum sit. Narrat quidem Marlianus [88]), sua aetate in fronte portae inscriptum fuisse Septimii nomen, ita tamen, ut dubium sit, utrum ipsius Septimii an Septimianae portae nomen legerit. Accedit, quod insolens plane et contra consuetudinem foret, portam ab eo, qui fecerit, nomen traxisse, caeteris omnibus a viis locisque cognominatis; denique non portam tantum, sed maioris spatii locum Septimii nomine appellatum esse, docet Notitia in regione XIV notans aream Septimianam, atque is locus servata tot saeculis memoria hodie quoque eodem nomine dicitur il Settignano. Hinc manifestum est, Septimium Severum in Transtiberina regione maiora quaedam opera excitasse,

---

87) Cf. Hieron. t. I. p. 469 Roncalli. Catal. Imp. Vienn. t. II. p. 244.
88) *Urb. Romae topogr.* l. I. c. 8. *Graev. thes.* t. III. p. 75.

ad quae forma illa sive aquae ductus pertinuerit, ut dubium iam non esse videatur, apud Spartianum legendum esse: *Eius denique etiam balneae in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quarum forma intercidens statim usum publicum invidit.* — Caeterum non est praetereundum, inter aquarum ductus, quos recenset epilogus Notitiae, esse aquam Severianam, ignotam omnibus. Num igitur, quam collapsam Spartianus perhibet formam, refecta est postea? Certe Flavius Blondus magnas sua aetate ibi fuisse piscinarum reliquias testatus est. (*Beschr. d. St. R.* I. p. 645.)

Iam vero apparet unde portae nomen venerit Septimianae, quam quum faceret Aurelianus, eodem eam nomine appellavit, quo dudum vocabantur loca adiacentia. Denique quod nec Procopius, neque Anonymus eiusmodi portam agnoscunt, id fortasse sic explicandum, ut novo murorum ductu Honorius portam Septimianam intra moenia incluserit, quod quidem certius affirmarem, si compertum haberem, quo iure scribat Melchiorri [89]) veterem Septimianam non in eodem loco, quo nunc est facta ab Alexandro VI porta, sed paullo retrorsum fuisse interiorem. Nam qui hodie ibi est fornix, eum in ipso stare veterum murorum tractu certum videtur.

Ultima haec fuit curriculi nostri meta; ultra enim Honorii aetatem nunc progredi visum non est quaerenti mihi de veteris Romae moenibus, dum aliqua superstes fuit imperii Romani imago. Tu vero, candide lector, acri iudicio velim perpendas, quam vere de singulis locis statuerim: neque enim arrogantius postulo, ut temere inconsulteque fidem mihi habeas; qui hanc ipse mihi studiorum meorum omnium scripserim legem: *μήτε πιστεύειν αὐτόθεν, μήτ' ἀπιστεῖν παντελῶς.* Verum si firmis superstruxisse fundamentis Urbis moenia videar, non irasceris, duobus iam Romae carendum esse celeberrimis portis, Triumphali Navalique, itemque duobus pulcherrimis circis, Florae et Salustii; neque aegre feres, redditum suo loco Argileti nomen, Ianumque Numae a theatro Mar-

89) *Guide méthodique de Rome.* p. 46. „L'ancienne, que plusieurs appelaient fenestrale fut un peu plus en dedans que la moderne."

celli abire iussum, et navalia in Campo Martio facta, pontemque Sublicium, Aemilii nominis expertem, ad forum Boarium ab Aventino translatum. Simul autem coniecturam facere poteris, quanta opus sit topographiae Romanae emendatione, quum hac ipsa tamquam levis armaturae prima excursione facies Urbis nonnihil mutata sit. — Neque ullam ab iis extimesco iram, quorum corrigendi mihi fuerunt errores, qui persuasum habeam, ipsos mecum communiter non vanae laudis cupiditate sed veritatis studio teneri. Quod si tamen simultates mihi ob liberius forte orationis genus suscipiendae forent, non tamen unquam desinam plena in convincendis erroribus uti παῤῥησίᾳ; neque ulla apud me Appietas aut Lentulitas (ut veris nominibus parcam) plus valuisse dicatur, quam antiquitatis causa in meam quoque clientelam fidemque commendata. Caeterum si quid in hoc libello acerbius dictum videatur, id excusatum iri ab iis maxime spero, qui experti sunt ipsi, quantae sint perpetiendae aerumnae Romanae topographiae operam danti, cui non cum leone quidem aut excetra, neque cum Antaeo denique deluctandum est, sed cum hominum levitate molestissima odiosaque insciorum confidentia; cuique plus consumendum est temporis in refellendis aliorum erroribus quam in re ipsa cognoscenda. At idem ego laudatissimos illos ornatissimosque viros, quibuscum contendendum fuit re ita ferente, literarum esse patriaeque decora tam libenti animo profiteri gestio, ut nihil unquam eorum laude sim habiturus antiquius; et quum universorum graviter culpaverim Italorum socordiam, non tamen nego esse quosdam inter eos quoque, quamquam paucissimos, qui ex ignobili vulgo tamquam procerae emineant inter humiles frutices arbores; inter quos laudare iuvat Avellinum Neapolitanum, virum literatissimum et externae eruditionis minime contemtorem, et Borghesium, quem utinam populares imitarentur magis quam admirarentur.

ADDENDA ATQUE EMENDANDA.

P. 12. not. 7. Nescio qui factum sit, ut scriberem, in fine Notitiae legi Urbis descriptionem, quae praemissa est alteri parti de imperio Occidentis exponenti.

P. 20. not. 14. v. 2 a fin. l. repetenda.

P. 23. not. 18. Non omittendum fuit, in duobus lapidibus sepulcralibus apud Gruter. DCXXII, 1. DCXXXVIII, 5. Viae sacrae nomen esse; si tamen fides habenda Smetio. Quam diligentes enim fuerint antiquarii in describendis lapidibus inter alia cognosces e Grut. DCXXI, 5. 6. DCXXXIX, 11., ubi eiusdem lapidis titulum ter videre est diversissimis modis scriptum.

P. 28. Quod Varronis codicem Lipsiensem (e bibl. urbis) et hic et p. 82. allegavi, id ridiculo errore, non tamen meo, factum esse paullo post intellexi. Quippe videram a Lindemanno et Muellero (continet enim Paulum quoque Diaconum) non male de eo existimatum esse, et quamquam recentissima manu scriptus est, quid vetat et istius aetatis librum a vetusto bonoque MS. originem ducere? Itaque primum in ipsa bibliotheca locis quibusdam inspexi, deinde domi paullulum otii nactus diligentius examinare coepi. Ac primis statim paginis collatis intellexi, hunc, si diis placet, codicem descriptum esse ex editione Pomponii Laeti a. MCCCCLXXI.

P. 29. not. 28. Adde quod *aurificum*, *caelatorum*, *cabatorum* (cavatorum?), *flaturariorum*, *pigmentariorum*, *tibiariorum* de Sacra via frequens est in lapidibus mentio. Gruter. DCXXII, 1. DCXXXVIII, 5. 7. DCXXXIX, 11. MXXXIII, 1. Orell. 4149. 55. 56. 92. 93. Murat. CMIX, 1. Quamquam non nescio ad regionem quartam haec pertinere posse.

P. 34. v. 9. l. nominantis.

P. 47. De M. Valerio erravi: fuit is non Corvus, sed Poplicolae frater. Dionys. V, 29.

P. 57. not. 45. *Suburae maioris* nomen est etiam apud Schol. Cruq. ad Horat. Sat. I, 6. 113.

P. 81. not. 56. Vide an in errorem forte induxerit Cosmographum inscriptio pontis Fabricii e citeriore ripa in insulam facti. Verba haec sunt: *L. Fabricius C. f. cur. viar. faciundum coeravit idemque probavit. Q. Lepidus M. f. M. Lollius M. f. ex S. C. probaverunt.* Consules hi fuerunt anno post illam Paulli Aemilii Lepidi et L. Munatii Planci ultimam censuram. — Caeterum absoluto demum libello ad me allata est egregia Ritschelii de Aethico commentatio (*Rhein. Mus.* N. F. I. II. 4.). Quem librum si prius nactus essem, fortasse cautior fuissem in definiendo tempore, quo Cosmographia illa edita fuerit. Attamen hanc, quae ad nos pervenit, libri recensionem, uti edita est a Gronovio, saeculo sexto non esse antiquiorem nihilominus certum videtur.


P. 103. De porta Ferentina operae parcere poteram; nam ὕλης olim emendasse Doujatium, πηγῆς Cluverium, nunc demum me admonuit Drakenborch. ad Liv. II, 38. *Lucus Ferentinae* ter nominatur Livio (I, 50. 52. VII, 25.) *caput aquae Ferentinae* I, 51. *caput Ferentinum* l. s. l. Apud Dionys. IV, 45. eandem, quam Livius I, 50., rem narrantem est ἐν Φερεντίνῳ. Plutarchum vertisse ὕλην pro ἄλσος non incredibile. Utcunque fuerit, ad Romae certe portas Ferentina nihil attinet.

P. 121. v. 28. p. deductam esse l. deduxisse.

P. 129. v. 31. l. duabus.


C. QUIRINALIS
Forum Traiani
Forum Augusti
Forum Nervae
Forum Caesaris?
Argiletum
M. ESQUILINUS
Arx
M. CAPITOLINUS
T. Iovis O. M.
Capitolium
Circus Flaminius
Theatr. Marcelli
For. Olitorium
Insula Tiberina
Forum Romanum
Forum Pacis
Velia
Vicus Iugarius
Vicus Tuscus
Forum Boarium
TIBERIS
PALATIUM
Villa Spada
Amphitheatrum
Vallis Murcia
Circus Maximus
M. AVENTINUS
M. CAELIUS
Septizonium

TAF. II.


COLL. HORTORUM
PINCIUS.
Mausoleum
Augusti
Ager Vaticanus.
Prata Quinctia
Mausol. Hadriani.
P. Vaticanus?
P. Aelius.
P. Aurelia.
CAMPUS
MARTIUS.
Pantheon.
Circus Flaminius.
Septa.
Thermae Diocletiani.
P. Salutaris.
S. Susanna.
P. Viminalis.
Agger
Servii.
Castra
Praetoria.
P. clausa.
P. Nomentana
P. Collina
P. Salaria
P. Pinciana
P. Sanqualis
P. Fontinalis
COLL. QUIRINALIS.
S. Andrea
COLL. VIMINALIS.
Villa Negroni
S. Maria Maggiore
Subura
P. Esquilina.
P. Tiburtina
P. Praenestina
Carinae.
M. ESQUI
M. CAPITOL.
P. Ratumena.
P. Fabricius
P. Carmentalis
P. Flumentana
Ins. Tiber.
Pons Cestius
PALATIUM.
Amphith. Flavium.
P. Querquetulana?
Basil. Sessoriana.
(S. Croce)
S.S. Quattro Coronati.
P. Caelimontana.
M. CAELIUS.
S. Stefano.
Aedes Lateranenses
Amphith. Castrense
P. Asinaria
(S. Giovanni)
P. Trigemina
Circus Maximus.
Pons Aemilius.
M. AVENTINUS
Emporium.
Porta Portuensis
P. Capena
P. Metronis?
P. Latina.
P. Lavernalis.
Thermae Antoninianae
S. Balbina.
P. Naevia.
S. Sabba.
Monte Testaccio.
P. Ostiensis
(S. Paolo)
P. Ardeatina?
P. Appia.
(S. Sebastiano)
P. Aurelia
P. Septimiana
JANICULUM.
Pons Janiculensis?

Coll. compl.
E

Lipsiae Typis Breitkopfii et Haertelii